



# DE FALSA NOSTRI TEMPORIS, ET VERA CHRISTI RELIGIONE.

LIBRI DVO PRIMI, DE QVATVOR, *Polonica lingua ante octo & nouem annos conſcriptis atq; editis: nunc recens latina lingua donati, & aucti.*

## MARTINO CROmero authore.

*Cum Gratia & Priuileg. Cæſ. Maieſt.*

Anno ſalutis M. D. LIX.





# AD AMPLISSIMVM ET ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM ET DOMINVM, DOMINVM OTTONEM TRVCHSES, *miseratione diuina S. R. E. tituli S. Sabinæ, presbyterũ, Cardinalem, Episcopum Augustanum &c.* MARTINI CROMERI *præfatio.*



ERCVLEM QVAMuis Ioue genitum, nõ generis tamen beneficio, sed salutaribus humano generi laboribus, monstrisq; perdomandis cœlum atq; diuinos honores promeruisse, sapiẽtes homines memoriæ prodiderunt. Eius tu exemplum secutus esse videris, Otto antistes ampliss. & Illustrissime, qui, cum

claris ortus esses Natalibus, non ad ocium tamen atq; delitias, sed ad bene merendum cùm de omnibus hominibus, tum de patria tuá Germania natum te esse existimasti: Cumq; eam viris & armis florentem, ingenijsq; & pietate multis nationibus præstantem dudum, monstrorũ quorundàm veræ pietati atq; doctrinæ, ac omnibus bonis artibus infestorum insana rabie diuexari, & in decoris sui amittendi periculum vocari, seu verius impelli animaduerteres, nihil antiqus habuisti, quàm vt laboranti, omni ope & ratione succurreres: Eo maiore dignus laude, quàm Hercules, quòd ille iussu & impulsu alieno fecit, quæ fecit, nec tam suis ciuibus, quibus prima debetur charitas, quàm exteris & ignotis gentibus commodauit: Tu, cum nõ

deesset,

deeſſet, vbi honeſtè & cum dignitate acquieſcere poſſes, vltro non modò labores, verumetiam ſumptus maximos & pericula ſuſcepiſti, atq; etiamnũ ſuſcipis, quò patria tua chariſsima multis ſimul ſæuiſq; monſtris, memoria noſtra enatis, repurgetur. Quibus autem monſtris? Nempe apris vineam domini Sabaoth deuaſtantibus: leonibus, & lupis gregem Chriſti laniantibus: draconibus non ſolùm proxima, verùm etiam remotiſsima quæq; venenato prauorũ dogmatum halitu inficientibus: deniq;, vt mittam tauros, gygantes, centauros, cancros, triformes Geriones, & ſi qua ſunt alia, πολυκεφάλοις hydris, ac tam variè diſſectis ſectis, quibus plura indies capita pro vno quolibet reciſo ſubnaſcuntur. Ac vt alia prætream, quæ ſuperioribus annis tranquil-

tatis, publicè, rectéq; religionis, primum Germanis tuis, deinde vicinis, atq; etiam remotioribus populis restituendæ causa magno animo & consilio egisti, eò certè spectat, quòd nouã Dilingæ Academiam sumptibus tuis, non sine inuidia, vel obtrectatione quorundam, qui, si pietatis opinionem aliquam retinere vellent, non modò fauere inprimis, sed opitulari etiam tã præclaris conatibus tuis debebant, excitasti: eamq; sic instituisti, vt informandis moribus iuuentutis, extirpandis hæresibus, propagandæ rectæ religioni atq; doctrinæ, & administrandis Ecclesijs Dei generosum quoddam & vtile seminarium in omne tempus suppeditare posſit. Eodem typographica quoq; officina ibidem instituta pertinet: vnde nobis orthodoxorum theologorum, veterum iuxta ac recẽtiorum

tiorum ſcripta, quaſi arma quædam ad ſtabiliendam & propugnandā dei Ecclesiā, hoſteſq; eius refutādos & reprimendos ſuppeditentur: præſertim cū ſedulò caueant incircumciſi iſti Philiſtæi, qui ſe falſo Euangelicos nominãt, ne quis inueniatur faberferrarius in Iſrael, & ne fortè faciant Hebræi gladiū aut lanceā: Sed vt deſcendat omnis Iſrael, ſiue populus Dei ad ipſos, hoc eſt, ad ſcholas ipſorum, & ad libros ab ipſis cōſcriptos, vel certè excuſos ac editos exacuendi vomeris, ligonis, ſecuris, & ſarculi ſui, ſiue ingenij quibuſuis artib9 atq; diſciplinis expoliēdi cauſa, nō ſine religionis atq; dogmatum corruptela. His igitur tam improbis perditorum hominū conatibus tu duplici iſta ratione non in præſens modò, ſed in omne tēpus rectè obſiſti poſſe duxiſti. Quæ ſapienter abs te inſtituta, cum ego 1. Reg. 13.

non

non auditu modò accepiſſem, ſed ipſe coràm, ita volente & poſtulante te, inſpexiſſem, non probari non potui: & quin tibi publicè gratuler, facere non poſſum. Vtinam quidem multos tui ſimiles habeat Germania: Addo & Polonia mea, & aliæ Chriſtianæ gentes: Non paulò ſanè melius breui nobiſcũ & cum religione agi videremus. Nam quod ad Poloniam attinet, videtur & ipſa non longius abeſſe à periculo, nihilo facta cautior alieno malo. Vetus eſt prouerbium: Aliquid mali propter vicinum malum. Id cum ego compluribus annis animaduerterem, vt fuit ſanè animaduerſu non difficilè, licet minus id mea, quàm multorum aliorum intereſſet, impetrauit à me tamẽ amor patriæ, vt, quantum in me eſſet, ei periclitanti nõ deeſſem. Itaq; ante octo &

nouem

nouem annos licet in aula regia, non paucis nec leuibus negocijs implicarer, suscepi tamen laborem conscribendi aliquid lingua vernacula in gratiam Polonorum meorum, quò ij, qui in literis non ita multum progressi essent, vt legere & intelligere ea, quæ lingua latina à viris doctis et pijs in hoc genere conscripta sunt, rectè possent: haberent tamen aliquid, quo aduersus profanas nostri temporis hęreticorum nouitates præmunirentur, aut qui iam ijs capti essent, retraherentur, & in recta maiorum suorum atq; nostrorũ religione confirmarentur. Ac singula dogmata accuratè excutere, & praua quidem refellere, recta verò confirmare, neq; temporis illius, neq; mearum fuit virium. A Roffensibus, Piggijs, Eckijs, aut, si mauis, ab Hosijs,

 Sottis,

Sottis, Canisijs talia expectanda sunt. Mihi satis erat, perinde ac Mercuriali statuę, rudius ac planius, et vniuersè, qd fugiendũ, quidúe sequendũ esset cuiq; in religione commonstrare. Quatuor itaq; dialogos siue colloquia cõscripsimus. Et in his Monacho quidem Catholici & orthodoxi doctoris, Aulico verò (quod genus hominũ nescio quomodo cupidius est nouitatum) hominis ab hęreticorũ nouationibus non prorsus alieni, partes attribuimus. Ac primo quidẽ ex ijs, omnes nostri temporis nouatores, qui quamuis dissentientes, vno tamen nomine Euangelici dici & haberi volũt, pseudoprophetæ, & Pseudeuangelistæ eorumq; doctrina ĩproba, peruersa, noua, & cũ ab Ecclesię Christi institutis, tũ à scripturis sacris ac verbo Dei aliena & hęretica, conciliorũq; et Catholicę Christi Eccle-

Ecclesiæ præiudicijs damnata, varia
deniq; & incōstans, & Christiano ho-
mini penitus vitanda esse demonstra-
tur. Secundo, verū religionis Christi-
anæ & salutaris doctrinę fundamentū
esse verbum dei, idq; non scriptū iuxtà
ac scriptum: & in vtroq; cū cōseruan-
do, tū intelligendo, authoritas Eccle-
siæ Christiano cuilibet potissimum se-
quenda esse ostenditur. Obiter etiam
veteris testamenti scripturarum vis &
vsus explicatur. Tertius veram Eccle-
siā describit, & certis notis expressam,
q̄si ob oculos ponit. Quart⁹ genera do-
ctrinæ Ecclesiasticæ, ne cui fortè spe-
ciosum Ecclesiæ nomen imponat, ex-
plicat. His fundamentis iactis, reli-
quum erat, singulatim omnia pseud-
euangelicorum istorū, aut si quis vel-
let etiam vetustiorum Hæreticorum

dogmata, tanquam ad Lydium lapidem probare. Sed hanc lampada libenter alij trado, ipſe impar ferendo tanto oneri. Colloquia autem illa pingui minerua ad captum popularium noſtrorum ita ſcripta, Cracouiæ, ſuppreſſo non ſine cauſa nomine noſtro, tunc edidimus. Neç ea diſplicuêre pijs ac doctis viris, & primarijs Academiæ illius theologis: qui cohortati me ſunt etiam, vt ea latino quoq; ſermone in gratiam exterorum, atq; etiam noſtratium hominum, quorum multi latina, quàm vernacula legere mallent, rédderem. Verum eum ego laborem tunc recuſatum, ſiue dilatum verius, nuper demum, dum iuſſu optimi & benigniſsimi Regis mei SIGISMVNDI AVGVSTI aulam laudatiſsimi & pientiſsimi Cæſaris Ferdinandi ſequor, ocioq;

abundo,

abundo, ſuſcepi, & pio ſtudio Cæſaris, quô ille conatus & animos hæreticorum in his comitijs magno animo & grauitate ſapienter frégit ac repreſsit, confirmatus, eouſq; proſecutus ſum, vt prima duo colloquia latina facerem, nõ tam interpretis legibus, quàm authoris libertate vtens, et vinitoris in morem partim putans, partim diductis latius clauiculis dilatans & amplificans. Ac erat mihi quidem propoſitũ, ea premere, quoad non ipſa modo matureſcerent, verumetiam reliqua duo ſuccreſcerent: Sed non potui negare cum alijs quibuſdam viris pijs ac doctis, meiq; amantiſsimis, quibus cũ in hiſce comitijs Auguſtanis familiariter viuo, tum tibi inprimis Antiſtes ampliſsime, qui me, ex quo tempore in Polonia legatione apud laudatiſsimum

regem D. Sigismundum, huius, qui nunc regnat, patrem, D. Pauli eius nominis tertij pontificis max. nomine magna cum laude & gratia functus es, singulari beneuolentia & fauore complecti cœpisti, quin hunc immaturum etiamnum ac dimidiatum ingenij mei fœtum tibi petenti & vrgenti traderem: & arbitrio tuo permitterem, statimúe eum edi, an premi diutius adhuc velles, quo penes te sit edendi periculum iuxtà ac meritum; hoc quidem, si quid operæprecij fecisse, illud verò, si pręcipitasse editionē videbimur. Quoniam autem edere tibi stat sententia, tuis sanê auspicijs in manus hominum veniat, quòd te quasi obstetricante in lucem prodit: quo & ipsum nominis tui præclari patrocinio iudicioq; securius lucem adspiciat, & meæ in te obseruan-

uantiæ documentũ prę se ferat. Quòd si sic geminus partus non infœliciter nobis eueniet, neq; erit ingratus pijs hominibus (impios enim & proprio suo iudicio cõdemnatos hæreticos nõ moramur) reliquorum quoq; duorum gemellorum absolutionem atq; editionem maturabimus: atq; hæc bis duo minuta æra de tenuitate nostra in ærarium domini alacriter inferemus. Deus amplitudinem tuam diu seruet incolumem, & omni prosperitate cumulet ad gloriam suam, & præsidium atq; ornamentum Ecclesiæ suæ sanctæ.

Augustæ Vindelicorum septimo Cal. Augusti. Anno M. D. LIX.

# DE FALSA LVTHERANORVM SIVE EVANGELICORVM NOSTRI TEMPORIS RELIGIONE, LIBER PRIMVS.

*Martino Cromero authore.*

COLLOCVTORES.

## AVLICVS ET MONACHVS.



VLICVS. Heus tu Pharisæe. MONAGHVS. Ad me hic uerba facit. Apparet esse aulicum, & quidem infectũ labe Lutherana. AVL. Monache, monache. MON. Solet nobis esse molestum hoc genus hominum: sed respondebo tamen ei. Me uocas, bone domine? AVL. Quasi non audias, uel non intelligas. MON. Mirifice me appellas. AVL. An non rectè? Quin tu Pharisaicum istum cultum corporis pariter cum superstitionibus abijcis, & Euangelium amplecteris? Satis diu orbem terrarum unà cum Papis &

Episcopis vestris, & vniuersa sacrificorum turba dementastis, & gloriam Dei ac beneficia Christi propter emolumēta vestra obscu-
Math.23. rastis. Hominibus clauditis regnum cœlorū, vos ipsi non introitis, neq; quenq; introire patimini, & ociosi eleemosynis, & graui nostro miserorumq; agricolarum & adscriptitiorum nostrorum sudore vos cum scortis & nebulonibus saginatis. MON. Vel te ipsum tamē, si me nō dignaris, reuerere. AVL. Vera loquor. MON. Istiusmodi sales peperit nouum istud Euangeliū, amaros & inuerecūdos. AVL. Amara est veritas. MON. Quid vos aulici & militares homines? An nō mōstrōsius histrionū in morē culti inceditis? Facitis ne aūt officiū uestrum? aut rectè ne facultatibus vestris vtimini? nihil ne auarè, iniuriosè, superbè, nequiter, petulāter, luxuriosè et improbè agitis? AVL. An nō nimiū istud est Monache? MON. Qui quę vult dicet, quę nō vult audiet. Neq; ego tamen hæc omnibus vobis impingo. Sūt multi honesti, probi, & graues aulici atq; militares homines, quos par non est improborū & nequiter viuentiū culpam sustinere. Itidem vicissim aulicos de Sacerdotibus & Monachis sentire, simulq; manticam, quæ in tergo est, inspicere æquum esset. AVL. Sed nos tamen

men noſtra prodigimus : vos egenorum fruſta, & adſcriptitiorum noſtrorum ſudorem. MON. Eum ipſum ſudorem vos quoq; prodigitis, & quidem cũ ſanguine expreſſũ. Magis quidẽ deceret, fateor, ſacerdotes rectè diſpenſare ea, quę ipſis non modò ſua ipſorum, ſed etiam egenorum cauſa, diuino munere & piorum hominum pia beneficentia attributa ſunt & concredita, vosq; profanos. AVL. Hem, profanos etiam nos vocas? MON. Quid ni? quando aliud nomen latinum non ſuccurrit, quo uos, qui fanorum & ſacrorum miniſterijs addicti non eſtis, appellem. Nam laicorum quoq; nomen, recentioribus græcis & latinis non inuſitatum, minus æquis auribus admittitis (Seculares vulgus uocat) Vtamur autem eo uocabulo, ſi id magis allubeſcit. Magis, inquam, deceret, parq; eſſet, ſacerdotes uobis ſecularibus ad rectè diſpenſandum facultates proprias, & honeſtè pieq; viuendum exemplo ſuo præire : quippe, qui ſal terræ, & lux mundi eſſe debeant; ſed unuſquiſq; onus ſuum portabit, et ipſe pro ſe Deo rationem reddet. Tu quis es, qui alienum ſeruũ iudicas? Domino ſuo ſtat aut cadit, quemadmodum ſcribit Paulus. AVL. Licet tamen

Profanus. Math. 5. Gal. 6. Rom. 14.

 nobis

nobis uos admonere, secundum illam scripturam: Vnicuiq; mandauit Deus de proxi-
Eccl. 17. mo. MON. Perpulchra uerò admonitio, cõuitiari, & probris afficere, ne dicam pugnis contundere, aut etiam mulctare decimis, bonis, & facultatibus: sicut faciũt nonnulli, qui, dum in sacerdotum & monachorum auaritiã inuehũtur, idem faciunt, quod præfectus ille militaris, de quo dicere solet Stancicus morio: Qui cum militem anserum prędam agentem alta voce increparet, presius duos sibi ad iugum sellæ equestris porrigi iubebat: Scilicet odistis auaros, quod vulgo dicitur in prouerbio. AVL. Quid mirum, quando summis satrapis, et rege ipso ditiores atq; locupletiores estis, qui dudũ plerīq; pares, aut etiam inferiores nobis, ne dicam mendici, fuistis. MON. Hinc illæ lachrymæ. AVL. Sed non moramur tamen istas tam inuidiosas opes, ac decimas, neq; alia emolumenta vestra. Quærite, vtimini, & abutimini arbitratu vestro, modo nos verbo Dei ne arceatis, si docere ipsi nos id non dignamini: Humanis traditionibus atq; diabolicis superstitionibus ne nos deinceps, quasi naso tractos, seducatis, Pax. Iam errorem nostrum deprehendimus, & veritatem agnouimus, quam vos occultabatis.

Iam

Iam nobis Lutherus oculos aperuit, & imposturas peruersitatemque vestram retexit. MON. Arbitrabar me cum Christiano, ac non cum Lutherano loqui. AVL. Quid? Lutherus nō fuit Christianus? Te quidem melior: qui hypocrisi & superstitionibus vestris reiectis, puram putam veritatem orbi terrarum patefecit. MON. Equidem à filio Dei Christo domino iam pridem eam patefactam esse existimaui. AVL. Sic est: verū vos monachi cum sacerdotibus, episcopis, & papis eam postea suppresseratis: Lutherus eam denuo de tenebris erutam, orbi terrarum protulit. MON. Ergò ne Lutherus tibi spiritus sanctus est, quem filius Dei post suum discessum missurū se esse pollicitus est, vt nos doceret omnem veritatem? Quemadmodum de Montano discipuli eius Cataphryges, ac Manichęi quoque de suo præceptore longe ante mille annos affirmarunt. AVL. Iocaris tu quidem, sed impie. Non erat spiritus sanctus Lutherus: sed spiritu sancto illustratus, verbū Dei germanè intellexit, & rectè docuit: & fuit reuera homo Dei. MON. Scilicet: Propheta: Nec is quilibet de fece vulgi, sed Helias. Sic enim eum sui appellant. Et sanè similem illi exitum habuit, nisi quòd cadauer tamen eius post cō-

*Lutherus qui fuerit.*

 uiuium

uiuium nocturnum, in quo fuerat hilarior, in lecto repertum est. Ipse quidem Euangelistā se dicere maluit. Vis autem videre, cum nihil minus, quàm Euangelistam, vel Prophetam, vel virum dei fuisse? nec spiritum dei habuisse, sed spiritum vertiginis? AVL. Id quidem tu bullis vel decretalibus pontificiis, & Episcoporum constitutionibus, aut scholasticis sophismatibus probare velles. Iam ea conticescunt. Sacris literis & verbo Dei probandum fuerit. MON. Ne illa quidem conticescunt, aut conticescent vnquam apud pios & veros Christianos: Sed quando tu ita vis, probemus sacris literis. AVL. Nunquam probabis. MON. Audi modò, & audi patienter, neque statim efferaris ira, aut sermonem meum interrumpas, si quid displicebit. AVL. Fiet. MON. Sed secedamus illuc parumper, & consideamus. AVL. Placet. MON. Primùm, arbitror hoc te mihi concessurum esse, si Lutherus falsus Propheta est vel fuit, nō esse doctrinam eius à spiritu sancto; sed ab illo potius, qui dixit aliquando: Ero spiritus mēdax in ore prophetarum eius. Tametsi hoc quoque sacris literis possem euincere. AVL. Istud quidem verum est etiam sine testimonio sacrarū literarū. Sed Lutherum fuisse falsum prophe-

3. Par. 18.


tam,

tam, id verò tibi probandū est. MON. Age, Nō de solo aūt Luthero loquamur: Quandoqdē in eadē causa sunt Zvvinglius, Carolostadi⁹, Oecolampadi⁹, Muncer⁹, Melanthon, Bucerus, Brenti⁹, Vrbanus Regius, Osiander, Caluinus, Lascus, Vergerius, Stancarus, Sarcerius, Illyricus, Svenckfeldius, & quotquot Lutheri doctrinā amplexi, exēplumúe secuti ab Ecclesia Catholica sese hoc nostro seculo segregarūt, nouarūq; & peregrinarū doctrinarū authores vel assertores extiterūt, ꝓ verbo dei & Euangelio vulgo eas venditātes. Vniuersè igit̄ ostēdamus, eos falsos prophetas, & spiritus sancti expertes esse. Vnde aūt id probabo, vt intra cācellos abs te mihi circūscriptos maneā? Fit nō rarò in sacris scripturis mētio falsorū, mendaciū, & insipientiū prophetarū: Nec signa omissa sunt, quibus eos à veris ꝓphetis discernamus. Ac per Hieremiā quidē ita Deus ipse de eis loquitur: Falsò prophetæ vaticinãt̄ in noīe meo: Nō misi eos, & nō pręcepi eis, neq; locutus sum ad eos: visionem mendacem, & diuinationem, & fraudulentiam, & seductionem cordis sui prophetant vobis. Et alibi: Nolite audire verba ꝓphetarū, q ꝓphetant vobis, & decipiunt vos: visionē cordis sui loquuntur, non de ore Domini.

*Lutherus & cæteri pseudoeuangelici sunt falsi prophetæ*

*Falsi prophetæ nota.*

*Hier. 14.*

*Ibidem 23.*

Et mox:



Et mox: Non mittebam Prophetas, & ipſi currebant; Non loquebar ad eos; & ipſi pro-
Ibid. 29. phetabant. Nec diuerſum eſt ab his, quod ca.
Ezech. 13. 29. dicit. Et apud Ezechielem: Væ Prophetis inſipiētibus, qui ſequuntur ſpiritum ſuū & nihil vident. Et paulò pòſt: Vident vana, & diuinãt mendacium, dicentes: Ait Dominus, cum Dominus non miſerit eos. Viden' hic falſos prophetas deſignari eos, qui cum à Domino miſſi non ſint, nihilominus prophetent in noīe eius. An non apertè hic tibi deſignari videntur Lutherus, & quos dudū enumeraui, ſiue diſcipuli, ſiue æmuli eius?

*Euangelici nõ ſunt miſſi à Deo.*

Acto. 12. Cum enim Deus vel per ſe ipſe, vel per ordinarios magiſtratus, quos poſuit in grege ſuo, regere Eccleſiam ſuam, quempiam mittere ſoleat, ad annunciandam hominibus voluntatem ſuam, oſtendant iſti, ſe vtrouis modò miſſos eſſe. Ac magiſtratus quidem Eccleſiaſticos ij contemnūt penitus, et in ordinem cogunt, nihili facientes, quod ſcriptum eſt à
Rom. 13. Paulo, quod non eſt poteſtas niſi à Deo. Et
Heb. 13. alibi: Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis: tantum abeſt, vt per eos miſſos eſſe profiteantur: Niſi fortè quando incondita multitudo, aut magiſtratus quiſpiam ciuilis, vel
3. Reg. 13. princeps, exemplo Ieroboam regis impij, vel

Michæ

Michæ illius, cuius mentionem facit liber Iudicum, manum alicuius istorum implet, vt fiat ipsi sacerdos & Propheta, eam esse missionem suam interpretantur. Nam si qui perfugæ sacerdotes & Apostatæ ab Episcopis se missos esse iactare velint, cogitent, sed per eosdem, per quos missi erant, reuocari potuisse, cum ab authoritate eorũ discessissent. Verum enimuero à Deo ipso se missos esse asseuerant? Non est satis. Idem asseuerabant illi, de quibus Deus per Prophetas suos loquitur, sicuti dudum audiuisti. Quomodo igitur probabunt nobis verum esse id, quod asseuerant? Veri quidem Prophetæ Dei, quales fuere Moses, Samuel, ille qui missus fuit ad Ieroboam regem, Helias, Helisæus, Esaias, quoties auersum à Deo, legeq; eius, & promissorum eius immemorem populnm iussu Dei conuertere, & in viam reducere, afflictumúe ac desperantem consolari studuerũt, miraculis & certis futurorum prædictionibus à Deo se missos esse probarunt. Idem fecit Prophetarum Dominus ipse filius Dei, cum Euangelij lucem Hebræis, vmbræ legis, & Scribarum atq; Pharisæorum traditionibus assuetis, patefaceret. Idem Apostoli, cum orbem terrarum diuturna impietate cæcum

*Iudic. 17.*

*Prophetæ miraculis probabant se à Deo missos esse.*

*Exod. 4.* *1. Reg. 10. 12.* *3. Reg. 13.* *3. Reg. 18.* *4. Reg. 6. 7.* *4. Re. 19. 20.*

eadem luce illustrarent: domino, quemadmodum scribit Marcus, cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis. Idem cæteri discipuli, & qui eos consecuti sunt alij plurimi sancti doctores & propagatores Euangelij. Quarum rerum plenæ sunt historiæ Ecclesiasticæ. Quid igitur simile isti faciunt, præsertim cum iactent, vniuersos Christianos populos ante prolatam à se Euangelij lucem in densissimis non modò errorum & superstitionum, verumetiam impietatis & idololatriæ siue idolomaniæ tenebris versatos esse? Ecquod miraculum unquam ediderunt? ecquid futuri prędixerunt? Feruntur quidem id ij non reliquisse intentatum: Sed nunquam eis aliquis eiusmodi conatus successit. Quin & extremi iudicij dies à nonnullis prædictus, magnaq; stolidæ multitudinis perturbatione expectatus præterijt: & ille, qui in acie globos bombardarum, quos proiecturi essent hostes, manica se excepturum esse sine ullo cuiusquam suorum incommodo, promiserat fidem, fefellit: & subornatus qui simulata morte, inclamante quodam de prophetis istis, quasi rediuiuus exurgeret, non modò nõ exurrexisse, verum-

Mar. ultimo.

etiam

etiam exanimis repertus esse dicitur. Tales igitur sunt Prophetæ isti vestri, si Deo placet, Euangelici, qui cum vniuersum orbem Christianum, quasi auersum à DEO Christiq́ꝫ doctrina, conuertere instituerint, aut nihil præstent eorum, quæ prædicunt atq; tentant in nomine Domini, aut nihil certè tentare ausint & prædicere, quo nobis quemadmodum vel existimant, vel fingunt incredulis persuadeant, à Deo se missos esse, & in nomine eius loqui, verbumq́ꝫ Dei annunciare. AVL. At Christus prædixit, Mat. 24. nouissimis temporibus etiam pseudochristos & pseudoprophetas signa magna & prodigia daturos, ita vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi. MON. Verum. Quin & Paulus aduentum Anti- 2. Thess. 2. christi ait fore secundum operationem Sathanæ in omni virtute, & signis, & prodigijs mendacibus. Itaq; par est, vt eo prolixius gratias agamus DEO, quòd nondum in tantam tentationem nos induxit. Verùm alijs quoq; documentis probemus istos falsos esse Prophetas: Ac possent ea quidem cum ex ijsdem VERIS

Deut. 13. Dei Prophetis, tum è Deuteronomio Mosis peti: Sed non est necesse, quando ipse magister noster Christus, certam nobis prodidit

Falsi prophetæ nota alia. notam, qua rectè internosci falsi prophetæ queant: qua vnà cæteræ omnes, quæ ab illis proditæ sunt, comprehenduntur. AVL. Quę

Math. 7. nam igitur ea est? MON. A fructibus eorum, inquit ille, cognoscetis eos. AVL. Hic iam tu hærebis: imò quasi sorex tuo ipsius indicio peribis: An enim vos Monachi & Sacerdotes vnà cum Episcopis & Papis vestris non estis pleni hypocrisi, auaritia, superbia, ambitione, luxu, ingluuie, ebriositate? An nō estis immisericordes in egenos, acerbi in subditos, inuidi & contentiosi inter vos ipsos, irreligiosi in Deum, & officiorum vestrorū negligentes? Quid ego libidines vestras impuras & inuerecundas commemorem? Hi sunt fructus, qui non Lutherum, & Euangelicos nostros Doctores atq; Concionatores, sed vos, falsos prophetas esse coarguunt. MON. Abstrahis tu me quidem ab instituto sermone, quod vestris istis pseudeuangelicis in disputando perusitatum est: sed tamen paucis tibi respondebo: Nec agam relatione criminum, quamuis possem. Quid enim aut sceleris, aut flagitij est, quod vestri isti pseud-

euange-

euangelici prætereant? Sed non ita tecum agam: Nihil nunc de illis dicam; De nobis dico, Non possum negare, quin simus pleriqꝫ multis vitijs implicati; quanquam non tam perditi tamen, quàm vos vultis. Verum non protinus ob id falsi prophetæ sumus, aut praua est doctrina nostra. Eadem sanè opera Propheticam & Apostolicam doctrinam damnes licebit. AVL. Quid ita? MON. Et illi enim peccatores fuere. An non extitit in Mose infidelitas, propter quam Deus eum terram promissam ingredi passus nõ est? Dauid adulter & homicida fuit. Petrum scribit Paulus fuisse reprehensibilem. Et non ignoras, eum ter Christum abnegasse. De se autem dicit Paulus, quod peccatorum primus sit. Nec meliores fuisse videntur Euangelistæ, quorum præcipuus Ioannes scribit: Si dicimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est: Ne cæteri quidem Apostoli; quorum ambitio ad contentionem vsqꝫ inter ipsos aliquando exarsit; vt ne fugam eorum à Christo magistro suo commemorem. Proinde & hi pro falsis prophetis habendi essent, neqꝫ habenda esset fides doctrinæ Euangelicæ & Apostolicæ. AVL. Longe diuersa est ratio illorum, & vestra

*Propter impuram uitam non esse aspernandã doctrinam cuiusquã.*

*Num. 20.* *Deut. 32.* *2. Reg. 11.* *Gal. 2.* *Mar. 14.* *1. Tim. 1.* *1. Ioan. 1.* *Luc. 22.* *Mar. 14.*

vestra. Illi enim cum hæc fuissent aliquando, abluti & sanctificati sunt postea: vos in eodẽ vitiorum luto hæretis. MON. Quin ex illis quoque nonnulli postea, quàm verbi Dei administri fuissent, peccarunt, & rursus DEI verbum administrarunt. AVL. Mitto hoc. Illud dico: Obliuiosum esse te, & pugnantia loqui. Modò falsos Prophetas, Christi doctrinam secutus, à fructibus rectè cognosci aiebas: nunc contrà, non vis obesse doctrinæ malos fructus, hoc est, malam vitam docentis. MON. Non pugnant hæc, si rectè accipias. Nam quòd Christus ex fructibus Prophetam falsum, à quo vt nobis attendamus præcipit, cognosci vult, per fructus, non mores aut vitam eius intelligit. Sunt quidẽ & hæc fructus: verum cuiuslibet Christiani, non solius prophetæ proprij. Etsi autem requirit Christus in Prophetis & Apostolis suis vitæ integritatem, & habet ea permagnam vim ad persuadendum hominibus, in ijs præsertim sermonibus, qui ad mores & vitę degẽdę rationẽ pertinent, vult tamen etiã ab impuro doctore purã & salutarẽ doctrinam

Math. 23. hauriri. Vis hoc videre? Alibi pcipit is, vt faciamus quęcũque dixerint nobis scribę & Pharisęi super cathedra Mose sedentes: secundum opera verò eorũ ne faciamus. Quo arguit, nõ

respon-

respondere vitā eorū doctrinę. Ibidēq; eorum vitia recenset, ꝑpter quę væ q̄dē eis cōminat & exitiū, Sed nihilo tamē magis eos falsos ꝓphetas esse dicit, neq; vitare, sed āplecti potius & seruare nos iubet doctrinā eorū, eiq; obtēperare. Paulus quoq; gaudere se scribit, etiāsi qui ꝑpter inuidiā & cōtentionē Christū p̄dicent. Contrà, multi fuerunt in religione Christiana hęretici, honestate & sanctimonia vitæ p̄diti: quales fuere Tatiani, q se etiā Encratitas dixere, ꝑpter cōtinentiā, Euchitæ à precatione, Apostolici, Manichæi, Audiani, Nouatiani, q ꝑpter puritatem Cathari dicti sunt. Apollinaris quoq;, & Nestorius, & Eustathi⁹ honestè vixerūt, fuerūtq; docti & vigilantes Episcopi; & tamē falsi ꝓphetę et hęretici; eoq; loco eos habuit Eccl'ia Catholica, & eo noīe dānauit. Quin semꝑ antehac hęretici honestate & sanctimonia vitæ in animos hoīm influebāt, teste Chrysostomo: Nūc demū nequitia, imꝓbitate, & audacia uulgo se cōmendāt. Nō igitur hi sunt fructus, à quibus falsus ꝓpheta cognoscit. AVL. Quinā ergo? MO. Doctrina, frater mi, doctrina. Nā cum ꝓpheta interpres dei sit, seu viua voce, seu scripto, seu q̄uis alio modo iussa eius hoībus patefaciat, fructus ei⁹, quē edit, quatenus ꝓpheta est, ipsa est interpretatio ac doctrina: Quæ si uerè & cōstanter volun-

*Philip. 1.*

*Hæretici honestæ uitæ.*

*Epiph. contra hæret.*

*Chrysost. in Mat. hom. 24.*

*Fructus à quibus prophetæ dijudicandi sunt.*

voluntati Dei veri ſubſeruit, bonus eſt fructus, verum Prophetam indicans, etiamſi vita eius non vſquequaque incorrupta ſit & irreprehenſibilis: Sin à Deo cultuque & pręceptis eius auocat, quamlibet honeſtatis & ſanctimoniæ ſpeciem vita docentis præ ſe fęrat, ilicet falſus eſt propheta, & mendax, & inſipiens. Proinde illi, quos dudum enumeraui, Moſes, Dauid, Petrus, Paulus, & cæteri Apoſtoli: ille etiam, qui ad Ieroboam regem Iſrael à Deo miſſus, cum contra voluntatem Dei cibum ſumpſiſſet, à leone interfectus eſt, veri prophetæ fuêre. Quamuis enim vita eorum præceptis diuinis non ad amuſsim reſpondiſſe videatur, doctrina tamen à voluntate & præſcripto eius non deflexit. Contra, Sedechiam filium Canana, Achab filium Coliæ, Sedechiam filium Maaſiæ, Semeiam Nehelamitem, ſcriptura ſacra falſos prophetas vocat, non quòd ſceleratè aut nequiter viuerent, ſed quòd cum à Deo miſſi non eſſent, prophetiæ munus ſibi arrogarent, & voluntatem Dei ſecus, quàm ipſe volebat, interpretarentur. Illos quoque, à quibus nobis attendendum eſſe Chriſtus præcipit, ait idem in veſtimentis ouium venturos eſſe. Quid aût aliud ſunt ouilla veſtimenta, quàm dicta & facta

3. Reg. 13.

3. Reg. 22.

2. Para. 18.

Hiere. 29.

Math. 7.

*Ouilla veſtimenta.*

facta, mansuetudinis, innocentiæ, pietatisq́; speciem, præ se ferentia, & quidem scripturarum testimonijs adumbrata? Quid porrò ille, de quo scribit Moses in Deutero. qui, cum prædixerit signum atq; portentum, & euenerit quòd locutus est, dicit: Eamus, & sequamur deos alienos, quos ignoras, & seruiamus eis? an non pro falso propheta habendus est? Moses quidem etiam interfici eum iubet. Quid ita? An non videtur esse verus propheta, cum euenerit id, quod prædixit? Falsus est nihilominus, quia locutus est, inquit, vt auerteret vos à Domino Deo vestro. Hi sunt igitur fructus, à quibus Christus nos falsum prophetam cognoscere iubet: Nempe doctrina à verbo iussuq́; Dei dissentiens. AVL. Hic ego te teneo, tuis ipsius verbis, quasi vinculis quibusdam, constrictum. Nam Lutheri ac cæterorum Euangelicorum doctrina ex Euangelio est ac verbo DEI deprompta: Vestra verò Papistarum nequaquam: vos igitur estis falsi prophetæ, non Lutherus. MON. De nostra aliàs; si videbitur, sicut prius dixi. Nunc quidem de noua ista, quam Euangelicam vocatis, disquirere instituimus. Ac nusquam quidem isti pseudeuangelici non iactant verbum Dei & Euangelium,

*Deut. 13.*

*Euangelici falso iactant uerbũ Dei.*

gelium,perinde atq; illi, quos paulò ante recensui: Hæc dicit Dñs: Os Domini: verbum Dñi: Sed speciem eius tantum præ se ferunt,

*Math. 7.* virtutem autem eius abnegant. Vuarum & ficuum suauitatem ostentant audientibus & legentibus: sed spinæ sunt ac tribuli, de quibus verę ficus & vuę salutaris doctrinę colligi nō

*Ouilla uestimenta.* possunt. In vestimentis ouium veniunt, hoc est, vestiunt se sermonibus ex Apostolicis & Propheticis scriptis, & ex ipso filij Dei Euangelio, quasi ex vellere agni immaculati, qui tollit peccata mundi, contextis: Intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Verba quidem ex Euangelio, sacrisq; scripturis concinnata ac deprompta afferunt: Cęterum sensum à Christi & spiritus sancti mente alienum de suo ipsis affingunt: Tametsi nonnunquam etiam verum & germanum sensum, & quem ab Apostolis & Apostolicis viris traditum Ecclesia Catholica tanquam depositum accepit, & sedulò fideliterq; conseruat, proferunt, vt probè videantur imitari illum, de quo scribit Moses, sicut paulò ante commemoraui, qui prædicit nonnunquam ea, quæ rerum exitus vera fuisse comprobat: sed in eo idem, quod ille, & ipsi propositum habent: nempe, vt miscentes vera falsis, auertant po-

pulos

pulos à Domino DEO suo, & à vera pietate cultuq; & præceptis eius, & persuadeāt eis, vt eant ab Ecclesiæ Catholicæ consensu discedentes, & seruiant dijs alienis, & vt ait Christus; rapiant ac dispergāt oues eius. Qui sunt aūt dij alieni, ad quos isti à vero deo nos auocant? Nempe noua & peregrina dogmata, ad quæ cum isti vana quadam religione animos hominum adstringunt, ac pro ipsissimo Dei verbo ea venditant, pro dijs ea volunt haberi. Sed quoniā ea cū ipsius magistri nostri Christi dñi salutari, ab initio nobis per Apostolos & Apostolicos viros tradita, & per tot seculorū successiones in Ecclesia eius ad hoc usq; tempus fideliter cōseruata doctrina non congruūt, & à vera pietate aliena sunt, alieni sunt dij: Quorum nam autem? Cunctarum in circuitu gentium, inquit Moses: hoc est, impiorum hæreticorum, qui, vt ait Psaltes, in circuitu (Ecclesiæ nimirum, ex qua egressi sunt per secessionem) ambulant: Et quidem earum gentiū, quę iuxtà, vel procul sunt: hoc est, recentiorū iuxta ac vetustiorū hęreticorū: Quos deos ignoram⁹ nos, q intra Ecclesiæ sinū nos continemus, & patres nostri, sancti & orthodoxi doctores, atq; adeò Apostoli & Prophetæ, qui verum nobis Euangelium & verbum Dei iam inde ab initio bona fide,

Iob. 10.

Dij alieni.

multi quidem etiam ſanguine ſuo obſignatũ, tradiderunt: Quin paulò ante ignorarunt etiam ipſi, prius quàm à nobis exirent. A V L. Horrenda dicis, ſi vera ſunt. Sed mihi aliter videtur. MO. Imò ſunt veriſsima. Lõgè ſunt aliena à Chriſtianis moribus & pietate, atq; adeò à ciuili hominum ſocietate & communi naturæ humanæ ſenſu eorum dogmata, & priſcis iuxtà ac recentioribus hæreticis conſentanea, cum receptis verò Eccleſiæ Catholicæ decretis & inſtitutis, & Apoſtolicis ac propheticis ſcripturis, ac vero DEI verbo pugnantia. Quod probatu non eſt difficilè. Quodnam enim (quæſo per deum immortalem) eſt præclarum iſtud Euangelium & verbum Dei, quod iſti nunc è profundis ac diuturnis tenebris, quemadmodum ipſi iactitant, ærutum, hominibus obtrudunt? Quos fructus edunt iſtæ ſpinæ ac tribuli? Nimirum abſq; diſciplina ac timore Dei ſecurè viuere: audacter peccare, inani & impia miſericordiæ Dei fiducia: perſuaſum habere nullo peccato, præter incredulitatem, hominem poſſe damnari: Imò nihil præter incredulitatem pro peccato ducere: hominibus Deoq; fidem non ſeruare: non reddere ſuum cuiq;, imò alienum rapere: nemini obtemperare: magiſtrati-

*Pſeudeuangelicæ doctrinæ forma & fructus.*

*Luth. de capt. Babil.*

*Idem in ſer. attendite à falſ. Prophet.*

ſtratibus profanis iuxtà ac ſacris authorita-
tem detrahere: probris afficere, execrari, &
ſeu veris, ſeu falſis criminibus in odium ho- *Heb. 13.*
minum adducere eos, quibus diuinitus obe-
dire & ſubiacere iubemur, prępoſitos, hoc eſt,
pontificem max. Epiſcopos, & ſacerdotes: &
cum improbo illo Cham, nō vnum aliquem, *Gen. 9.*
ſed multos atq; adeò omnes in vniuerſum pa-
tres cùm hic viuentes adhuc, tum regnantes
iam cum Chriſto, impudenter ſubſannare, &
pro nihilo ducere, imò & calumniari: petu-
lanter inuehere in ſacras Synodorum conſti-
tutiones atq; decreta: ſacramenta Eccleſiaſti-
ca, rituſq; eorum ſacros, è ſacra ſcriptura ferè
& exemplo Chriſti deſumptos, fœdè pro-
culcare: verba Dei, quibus voluntas eius te-
ſtata nobis eſſe debet, vnumquenq; arbitratu
ſuo interpretari, ſeu verius peruertere, neq;
certi quicquam, quod ſequamur, relinquere:
deum mali, hoc eſt, peccati omnis authorem,
& quouis tyranno & Alaſtore dęmone iniu-
ſtiorem & improbiorem fingere, quippe qui
d, quod ipſe fieri voluerit, atq; adeò fecerit,
uniat in eo, qui culpa vacet, & qui inuitus
ecerit, ipſo, quaſi fabro malleum uel ſecurim,
npellente: Niſi forte non punit, quin ap-
robat etiam: Qui nam autem fructus pro-

*Fructus doctrinæ pseudeuangelicæ.* uenerunt in populis ex ista doctrina pseudeuangelica? Nempe summa proteruitas & licentia, cultusq; diuini neglectus atq; cõtemptus, de quo & ipsi querũtur Lutherus & Melanchthon, impudentia, iniusticia, vsuræ plus quàm centesimę: dissensiones atq; sectę: latrocinia, acerbæ tyrannides, turbæ, seditiones plebis atq; subditorũ aduersus magistratus ac dominos suos, procerum ac principum aduersus Imperatorẽ Regesq; suos, ita vt abrogare etiam imperium Carolo eius nominis quinto principi laudatissimo quidam priuato consilio, siue insania potius, non dubitarint: Mitto enim alios inferiores magistratus profanos & Ecclesiasticos, in quibus idem tentatum, vel etiam perfectum est, tentaturq; etiamnum contra leges publicas, & pacta conuenta: deniq; immania ac ciuilia bella, & profusio sanguinis: Quæ omnia in Germania, Heluetia, Anglia, Dania, Suetia, & Noruegia nostra memoria extiterunt. Atq; vtinam ne eadem cùm Gallis, tum nobis quoq; Polonis quasi fatali quodam contagio impendeant. AVL. Vestræ sunt istę calumnię. MON. Nequaquam, palpari id potest, nedum videri. AVL. Sit ita sanè, quòd multa eiusmodi patrata sint, atq; etiam nunc patrentur à non-

nullis

nullis principibus & populis, qui prætextu Euangelicæ doctrinæ malesanis cupiditatibus vel odijs suis impensius indulgent: Cæterum Lutherus talia non docuit, neq; cæteri doctores Euangelici. MON. Scriptis eorum hoc demōstrari potest. AVL. Hoc scio, agrestes Lutherum nō concitasse, Imò scriptis eos insectatus est. MON. Quid si demonstro, eum concitasse, aut rectè factum eorū cōprobasse? Credes ne vera esse omnia, quæ ego dico de doctrina Lutherana? AVL. Profectò minoris ea pōderis apud me deinceps esset, quàm fuit hactenus. MON. Audi igit, De captiuitate Babylonica sic ille scribit: Reuera nos Christiani liberi sumus, ab omnibus oīum hominū legibus exempti, libertate Christiana per baptismum nobis donata. Item nulla est ergo remedij spes, nisi reuocato libertatis Euangelio, secundū ipsum, extinctis semel (audi obsecro) omnibus omniū hoīm legibus, omnia iudicemus & rogamus, amen. Iam in eo libro, quem scripsit contra duo Cæsaris mandata, vide q̄d scribat de rusticorū tumultu, principes & magistratus appellās. Deus ita ꝑcurat, ô principes, vt tyrānis vr̄a diuti⁹ tolerari neq; possit, neq; velit, neq; debeat. Attende quęso q̄d dicit, neq; debeat, an sit cōsētaneū illi Paulino:

*Agrestium tumultus à Lut. concitatus.*

*Luth. de capt. Babil.*

*Luth. contra duo Cæsaris mandata.*

Qui

Qui poteſtati reſiſtit, ordinationi dei reſiſtit. AVL. At idem Lutherus alibi diuerſum ſcripſit. MON. Vel inde agnoſcas licet verſipellem adminiſtrum Sathanæ. In viſitatione ſanè ita ſcripſit: Nonnulli etiam, incautè loquuntur de libertate: vnde putant homines quidam, ſe tam liberos eſſe, vt non debeant amplius reddere id quod debent, nec obtemperare vllis magiſtratibus. Alij putant libertatem Chriſtianam nihil aliud eſſe, quàm ueſci carnibus, non confiteri, non ieiunare &c. Atq; ita abſurdas imperitæ multitudinis opiniones debent concionatores arguere. AVL. Hoc certè non eſt concitare. MON. Scribit quidem ille ita: Sed poſt feſtum, quod aiunt. Cum turbaſſet prius & ſeduxiſſet plus minus bis centum millia hominum, qui ſunt interfecti, & ſicut ipſe ait Lutherus, in inferos demerſi: ac trecenta propemodum caſtella atq; monaſteria, quemadmodum prodidere nonnulli, vaſtata eſſent in ſola Franconia. Quid Zvvinglius, nonne Heluetios inter ſe prius coniunctiſsimos commiſit, ipſeq; incentor ac dux parricidialis belli in acie cecidit? Quid Veſtphalici tumultus, & Monaſterienſis ciuitatis tyrannis à Sartore arrepta, cuiuſnam opera conflata eſt? Nonne Thomæ Munceri, & quo-

*Luth. in uiſit. Sax.*

*Germaniæ clades.*

& quorundam aliorum pseudeuangelicorum concionatorum? Taceo Sueuos, Styrios, & cæteros Germaniæ populos, qui & ipsi inter se & aduersus nobilitatem ac magistratus suos authoribus & ducibus istis concitatoribus (concionatoribus dicere volebam) tumultuati sunt. Nihil dico de nupera Boemorum seditione. Sed quid opus est verbis in re luce meridiana clariore? Ecquem mihi Concionatorem, siue adeò ecquam istorum concionem proferes, in qua non odia populi aduersus ordinem Ecclesiasticum, & omnes omnino diuersum sentientes rabidis clamoribus, maledictis, execrationibus, & calumnijs inflammentur? Ecquis autem vnquam è concionibus eorum vultu ad lachrymas & pœnitentiam, aut certè ad religionem & modestiam Christianam composito prodire visus est? ac non potius ardentibus ira oculis & omnibus membris, non obscuro murmure & fremitu audita maledicta secum ipse vel cum altero repetens, ita vt si quis aduersariorum sese tunc offerat, manibus temperaturi non esse videantur? Quin factum id est multis in locis non semel, vt prorumpentes vnà cum concionatoribus, non modò in obuios, sed etiam in latitantes in domibus vel monaste-

rijs, vel templis, immaniter impetum facerent. Hi sunt fructus doctrinæ istius nouæ. Longe diuersa certè fuerunt olim temporibus Apostolorum exorientis Euangelij crepundia: Non facere, sed pati vim & iniuriam tunc homines condiscebant: Nec per vim atque tumultum socios aut præceptores suos iudicijs magistratuum eripiebant, aut

Heb. 10. aliena inuadebant: Sed illuminati, Paulo teste, magnum certamen passionum sustinebant, partim ipsi opprobrijs & tribulationibus spectaculum facti, partim socij taliter conuersantium effecti. Nam & vinctis compatiebantur, & rapinam bonorum suorum cum gaudio suscipiebant. E quibus potes conijcere, quale sit istud nouum Euangelium, & sit ne inter istos vindices & propagatores

Esa. 9. eius spiritus Christi, quem Esaias principem pacis futurum esse promisit: an verò ille spiritus, qui homicida est ab initio, & in veritate

Ioan. 8. non stetit, nec vlla alia re primos parentes nostros perdidit, quàm inobedientia beneuolo in speciem mendacio suo conflata. Iam Petrus quoque istos magistros menda-

2. Pet. 2. ces graphicè depingit: Qui post carnem, inquit, in concupiscentia immunditiæ ambulant, dominationemque contemnunt, au-

daces.

daces, ſibi placentes, ſectas non metuunt introducere, vel, vt eſt in Græco exemplari, præfracti, non reformidantes honoratos homines maledictis inceſſere. Et paulò pòſt: Voluptatem exiſtimantes diei delicias, coinquinationes & maculæ, delicijs affluentes, in conuiuijs ſuis luxuriantes vobiſcum (ſiue vt Græci legunt, qui conuiuantes in erroribus ſuis, vobis inſultant) oculos habentes plenos adulterij & inceſſabilis delicti, pellicientes animas inſtabiles, cor exercitatum auaritia habentes, maledictionis filij, derelinquentes rectam viã, errauerunt ſecuti viam Balaam ex Boſor, qui mercedem iniquitatis amauit: correptionem verò habuit ſuæ veſaniæ ſubiugale mutũ animal in hominis voce loquens, prohibuit prophetæ inſipientiã. Hi ſunt fontes ſine aqua, & nebulæ turbinib⁹ exagitatę, qbus caligo tenebrarũ reſeruatur. Superbia enim vanitatis loquẽtes, pelliciũt in deſiderijs carnis luxuriæ eos, qui paululum effugiunt, qui in errore cõuerſantur, libertatem ipſis promittentes, cum ipſi ſint ſerui corruptionis. Hactenus Petrus. Quę uerba expendam⁹ quęſo ſingillatim. An .n. iſti poſt carnem non ambulant in

*Pſeudeuangelici poſt carnẽ ambulant.*

concupiſcentia immunditiæ? quando matrimoniorum ſanctimoniam, laxatis libidini in omne tempus frenis, vulgandis diuortijs, permittendiſq; poſt ſeparationem nouis coniugijs, atq; adeò inducendo plurium ſimul vxorum vſu (quòd feciſſe quidam edito libello, qui tamen ſtatim ſuppreſſus ſit, dicitur) profanant: deniq; vouere caſtitatem & continentiam, ſtultum eſſe, Deiq; verbo contrariũ, & quod ab homine præſtari nequeat, docent. Sicut enim ſine cibo, potu, ſomnoq;, ita & ſine coitu maris & fœminæ naturã humanam durare non poſſe: Et ſicut non ſit arbitrij ſui, mas ſit an fœmina, ita nec illud eſſe, vt ſe à fœminæ commixtione contineat. Quæ oratio ne apro quidem aut aſino conuenit, tantum abeſt, vt hominis cuiuſuis, non dico Chriſtiani, & qui Euangelicam & Apoſtolicam doctrinam reſuſcitare ſe profitetur, eſſe videatur. An non contemnunt autem ij dominationes & magiſtratus? Quando conuitijs & maledictis ſuis in odium vulgi eos adducunt: quod fecit Lutherus aduerſus duo Cæſaris edicta, & contra ſtatum Eccleſiaſticum (vt conciones omittam) ſcribens, & nuſquam non faciunt omnes iſti veſtri Euangeliſtæ; Aut quando ita ſcribit idem ad præ-

*Luth. de uita coniug.*

*Dominationes contemnunt.*

*Luth. contra ſtatum Eccleſ.*

ſides

ſides Eccleſiæ: Certiores vos facio, quòd de cętero nolo vobis amplius eum honorem habere, vt me ſubmittam vel vobis, vel vlli angelo de cœlo ad iudicandum vel cognoſcendum ſuper doctrina mea. Et mox: Volo per eam & veſter, & angelorum iudex eſſe. Aut quando negant nos neceſſe habere parere vllis humanis conſtitutionibus, neq; poſſe quẽquam in alium poteſtatem habere propter libertatem, qua Chriſtus nos omnes liberauit. Quòd ſi quid Concilium aut Papa cum omnibus Epiſcopis & Cardinalibus præcipiat, in deſpectum eorum (vtar enim verbo Lutheri) non eſſe parendum, etiam ſi rectum vel tolerabile ſit, quod præcipiatur. An non audaces autem & proterui ſunt iſti? qui cùm hæc, quæ modò recitaui, ſcribunt, tum illa: Ego indulgentijs & omnibus papiſtis contrarius fui, ſed per nullam potentiam: ſolum exercui verbum Dei, prædicaui, & ſcripſi: aliud nihil feci: Eo, quando dormiui, quando VVittembergenſem cereuiſiam cum Philippo meo & Amſdorffio potaui, tantum effeci, vt Papatus adeò debilitatus ſit, quòd ei nullus adhuc princeps, aut Cæſar tantum detrimenti intulerit. Aut illa: Cur non hos papas, hos Cardinales &c. omnibus armis

*Idem de capt. Babil. & ad Pragen. & ſerm. fer. 4. poſt Inuoc. Et ſerm. dom. Reminiſcere.*

*Audaces.*

*Idem ſerm feria 2. poſt Inuoca.*

*Idem in Syluestr. Prier.*

impetimus, ac manus nostras in sanguine ipsorum lauamus? An non placent sibimet ipsi? qui eos se esse putant, qui in tam latè patenti per orbem terræ Christiana religione, in tam multis nationibus atque linguis, per tot secula, soli scripturam & verbum DEI rectè intelligant, &, quod est in prouerbio, cornicum oculos configant: hoc est, sanctis patribus, qui omnem vitam suam in doctrina, cultus diuini exercitatione, sanctimonia transmiserunt, & ad extremum nonnulli propter Christum sanguinem suum profuderunt, quorumque præstantiam & merita Deus varijs & insignibus miraculis per eos in vita, & post mortem ad sepulchra & memorias eorum editis, euidenter declarauit, ijs, inquam, & Concilijs legitimis, in spiritu sancto congregatis & peractis, authoritatem omnem derogant, negantes se curare, quid Patres, quid Concilia sentiant: sancta & salutaria Ecclesiæ Catholicæ instituta temerè exagitant, atque conuellunt, & postea pro ijs deteriora longè & ridicula commenta sua hominibus à se dementatis obtrudunt, & ex imo terræ angulo cunctis Christianis populis credendi & viuendi leges præscribere conantur: de sancta scriptura iudicium sibi arro-

*Sibi placētes.*

*Caluinus. Brentius in prolegom. & Pericop.*

arrogant, dicentes, hoc est in Canone, hoc nō est: Hoc est Petri, aut Ioannis: hoc non. Diui Iacobi Epistolam palearem, siue stramineam vocitant: De Epistola verò ad Hebræos vide quid scribat vester Aristarchus, & sacræ scripturæ non aduocatus, sed iudex: Epistola ad Hebræos durum habet nodum, quòd in sexto ac decimo cap. simpliciter abdicat ac denegat pœnitentiam peccatoribus post baptismum. Et in 12. cap. ait: Esau quæsiuisse pœnitentiam, non tamen inuenisse, quod est contra omnia Euangelia, & omnes Epistolas Pauli. Atq; inde colligit, eam neq; Pauli esse, neq; cuiusquam APOSTOLI. Ne videlicet cogatur retractare illud, quod sæpe in ore & calamo habuit: Nihil esse in sacra scriptura, quod ipse non probè intelligat. Sicut & Apocalypsim negat omnino vel Apostolicam esse vel Propheticam. Metuunt ne autem ij Sectas introducere? Quibus iam Germaniam, vt cæteras Christianas gentes taceam, impleuerunt, inconsultilem Christi tunicam scindentes, ac dispergentes gregem eius, ita, vt quoquo te vertas, in Lutheranos, & Euangelicos, & protestantes, & cōfessionistas, aut in Zuinglianos, et Caluinianos, & sacra-

*Censura de scripturis Canonicis.*

*Luth. in præfat. in nouum testament.*

*Sectas non metuunt introducere.*

& sacramentarios, aut eorum suppares Melanthonianos, aut Adiaphoristas, aut Illyricianos, aut Antinomos, aut Interimistas, aut Anabaptistas, aut Osiandrinos, aut Picardos, aut Suenckfeldianos, aut Brandeburgicos, aut Seruetianos, aut Libertinos, aut Svermeros, ac nescio quas alias pestes incidas necesse est: Quæ omnes è Luthero, tanquam ex equo Troiano prodierunt: Christianos autem, qui se dicere & in domo, siue Ecclesia Dei cum consensu habitare velint, perpaucos reperias. AVL. Licet ne tribus verbis interpellare? MON. Si quid habes, quod ad rem pertineat, licet. AVL. De Brandeburgicis nihil me vnq̃ audiuisse memini. MON. Narrauit mihi quidam vir grauis & fide dignus, cum per quædam Germaniæ loca iter faceret, se vidisse in summis templorum & adiunctarum eis turrium parietibus scriptum permagnis literis, quæ vel eminus legi possent, quòd ibi religio Brandeburgica & non alia seruaretur, percunctãtemq́ in diuersorijs idem comperisse, & esse id edictum principis. Cæterum non vacasse sibi disquirere, quænã esset religionis eius ratio, nisi quòd esset nonnihil diuersa à Lutherana & Saxonica, sed ad institutũ reuertamur. Verentur ne aũt isti pseud-

pseudeuangelici, si tibi grecus cõtextus magis arridet, honoratos viros maledictis incessere? qui de pontificibus max. & Episcopis, & alijs pijs ac sanctis viris, ac de Christiano populo bene meritis, nõ modò viuis, verumetiam in Christo quiescentibus, tã ꝓbrosa et cõtumeliosa passim & loquũt, & concionãtur, & scribunt, & pingunt, & fingunt: Martyrũ et aliorũ sanctorũ uenerationem et inuocationẽ iam inde ab initio ferè in Ecclesia Christi receptã & vsitatam falso idololatrię noĩe traducũt: Imagines & reliq̃as eorũ spurcè tractant et eliminant: Miracula, quæ deus ad sepulchra & memorias eorũ fidei, quã ij nobis tradiderũt, & ꝓ qua sunt mortui, cõfirmandę causa, mirificè in hãc diẽ patrat, dęmonũ pręstigias, impudentissimè digitũ dei blasphemantes, uocitãt. Nec id modò, verumetiã ipsius sancti sanctorum Christi Iesu Dñi ac Dei nostri, quem pater clarificauit, gloriaq́ꝫ & honore coronauit, & super opera manuũ suarum constituit, eius (inquam) imagines, salutares toti generi humano cruciatus, & mortẽ eius repræsentãtes, non sine cõtumelijs demoliuntur, ne quã nobis beneficiorũ eius memoriã relinquant, Turcasq́ꝫ & Tartaros Christiano orbi imminentes demoliendi eas, labore leuent: deniq́ꝫ eius ipsius Christi nomen sacrosanctum, in q̃

Honoratos uiros non uerentur maledict. incessere.

Ioan 13.

Psalm. 8.

omne genu flectitur, cœlestium, terrestriũ, & infernorum, blasphemant, dum eum alij verũ deũ eiusdemq́ꝫ cum patre siue essentię, siue naturę esse negant, alij desperasse in cruce & gehennæ pœnas gustasse blaterant, pleriqꝫ aũt oẽs mundam oblationem, quã Missam vocamus, quæ ab ipso instituta, iugiter, nec quicq́ꝫ frementibus & frendentibus dęmonibus, eorũq́ꝫ mãcipijs, in toto mũdo deo sanctificatur & offertur, sicut olim ipse per ꝓphetam suum Malachiam pręnunciauit, impuris & probro plenis buccis atqꝫ linguis polluũt, et idololatriam appellãt. An nõ existimant autem ij voluptatẽ diei delitias? siue, Nõ cõsectantur ij de die in diem delitias? q̃ vniuersæ libertatis atqꝫ religionis Christianæ vim in eo collocant, ut edat, bibat, agat, omittat quisqꝫ quod sibi lubet; stata ieiunia, ferias, & vota ne seruet, ne cõfiteatur hoĩ sacerdoti peccata sua: ne conuertatur ad deũ in ieiunio, fletu, & planctu, ne oret instãtius: ne castiget corpus suum, & in seruitutem redigat, q̃ minus reprobus efficiatur. Non sunt ne autem isti coinquinationes & maculę? qui suis istis ceptis et ansis religionem Christianã Iudęis atqꝫ Turcis putidiorẽ & obominabiliorem, quam unquã aliàs, reddiderunt. Fertur aũt Solimannus Imperator Turcarũ, cum Christianos & q̃ suis hæreticos ferat

*Mal. 1.*

*Voluptatem existimantes diei delitias.*

*Ioel. 2.*

*1. Cor. 9.*

*Coinquinationes.*

ferat in ditione sua, Lutheranos istos & Euā-
gelicos in primis odisse & auersari, tanꝗ infi-
deles dn̄is suis, & ad perturbandam pacem &
quietem publicam factos. An verò prauitate *In conuiuijs*
& improbitate sua, tanꝗ suauibus epulis per- *suis luxurian-*
fruentes, nō subsannāt nos (hoc enim hîc sibi *tes nobiscum.*
velle videtur Petrus) & quemadmodū gygas
ille Philistæus exercitui Dei viuentis, expro-
brant, quod ijs, qui nobis præsunt, obtempe-
ramus, humilitatem & patientiā cōsectamur,
templa frequentamus, pias peregrinationes *1. Tim. 4.*
suscipimus, oramus, ieiunamus, res ad vsum
nostrū à deo cōditas per verbum & orationē
sanctificamus, quo depulsis dæmonū insidijs
sint nobis salutares: vestitu, gestibus, & actio-
nib⁹ salutis nostræ mysteria repræsentamus,
signo crucis, dæmonibus terribili, nos & oīa
quæ salua esse, quæꝗ sanctificare volum⁹, sig-
nam⁹, aliaꝗ instituta & cęremonias ad cultū
diuinum pertinentes, quę mentes nostras ad
Deum attollant, seruamus? Vbi, quàm multa
falsò & calumniosè nobis & maioribus no-
stris atꝗ suis impingunt? An non habent aūt *Oculos haben-*
oculos plenos adulterij? cum se, & alios, qui *tes plenos*
se solenni castitatis voto Deo consecrarant, *adulterij &*
mares pariter & fœminas falsis coniugijs, sed *incessabilis*
veris adulterijs & incestis contaminant. Ces- *delicti.*
sant ne autem delinquere? qui eo contentio-

nis prouehunt, vt ad quæuis absurda præter animi sui sententiam cōcedenda adduci se aduersariorū disputationibus patiantur potius, quàm vt vlla in re errorem suū q̄uis manifestum agnoscant: quicq; sacramenta, quibus ex instituto Christi & Apostolorū eius purgamur & sanctificamur, partim abiecerūt, partī profanarūt, partim virtute oī & efficacia denudarūt, & quasi casses nuces pueris ad lusum reliquerunt: & cum in mores nostros passim debacchentur, ipsi nihilominus bacchātur, tātūq; absunt ab emendanda vita, vt ipsimet sectæ authores de proteruitate & licentia suorū querantur, quam ipsi instituerunt, docentes: Nō esse discrimen apud deum inter bonum & malum opus. Et: Non posse hominem damnari, si modò credat, etiam si sit nequissimus & nocentissimus. Nonne autem eiusmodi verbis atq; pollicitatione scientiæ, multis seculis toti orbi terrarum incognitæ, sicut serpens Euam seduxit, ipsi quoq; pelliciunt ad se animas instabiles? At planum est, quàm impudenter sese vbiq; ingerant ac venditent, & cùm alijs artibus, tum pollicitatione & indulgentia rerum earum, quæ vulgo placent, libertatis (inquā) siue licentiæ, nouarum tabularum, & vsurpationis alienarum facultatum atq; dominationis, homines leues, decoctores,

*Melanchton in annot. in Ioā: Luth. multis in locis.*

*Pellicientes animas instabiles.*

res, ſuperbos, ambitioſoſq; ſeducant. An verò non habent ij cor exercitatum auaritia, qui repudiata ea, quam vltrò nonnulli ſuſceperant, paupertate, & in auaritiam ſacerdotum detonantes, direptis templis, monaſterijs, & alijs Deo dicatis locis atq; bonis, non vnũ atq; alterum anſerem, ſicut Stancicus noſter, ad iugum Sellæ ſibi porrigi iubent, ſed ſatiari nunquam poſſunt. Non ſunt ne autem filij maledictionis? Et quidem duplici nomine, ſiue quòd ſint maledicentiſsimi, ac ſpurcius ſcribant atq; loquantur, quàm propudioſa ſcorta in ganeis & lupanaribus; ſiue quòd peruertendo ſenſum ſcripturarum ſanctarũ, & euangelizando nobis præter id, quod accepimus, & exaſperando communem matrẽ Eccleſiam, dilexerunt maledictionem, & veniet eis, vt ait Dauid, quaſi paterna hęreditas. An non derelinquunt autem uiã rectam? dum ex nobis prodeuntes, non manent nobiſcum; tranſgrediunturq; terminos antiquos, quos poſuerunt patres eorum atq; noſtri, Apoſtoli (inquam) & Apoſtolici viri, Epiſcopi, doctoreſq; ſancti, & concilia: deniq; à Catholica Eccleſia, extra quam, perinde atq; extra arcam Noe, regnante diluuio, nemo ſaluus eſſe poteſt, ſicut ſcribit S. martyr Cyprianus, & poſt eum Hieronymus, ſegregarunt ſemet-

*Cor exercitatum auaritia habentes.*

*Maledictionis filij.*

*Gal. 1. Pro. 22. Eccle. 3. Pſal. 108.*

*Dereliquerũ. rectam uiam. 1. Ioan. 2. Pro. 22. Eccl 3.*

*Cyprian. de ſimpl. prælat. Hier. ad Damaſ.*

 ipſos

ipſos,& ſegregant quos poſſunt,cum quibuſuis,etiam quos ipſi pro hęreticis & impijs habent, ſeſe coniungentes, & contra eos, apud quos omne bonum, verumq; Chriſtianiſmum, imò nucleum Chriſtianiſmi eſſe, & inde ad ſe veniſſe non diffitentur,ſceleſta conſilia cõſociantes,quę licet nec prius latuerint, nuper tñ in colloquio Vormaciæ inſtituto, planius à male cõcordibus eorũ ſocijs ꝑdita ſunt. An nõ errarũt aũt ſecuti viã Balaam ex Boſor? qui dum Huſsi, Viclefi, Berengarij, Vigilantij, Iouiniani, Aerij, Donati, Pelagij, Maſsilianorũ, Eutychetis, Arij, Sabellij, Catharorũ, Marcionis, Simonis Samaritani, & aliorum priſcorũ hæreticorum inueterata, & ab Eccleſia dei iampridem damnata dogmata ſtudioſè conſectantur,& ſopitos olim ignes è cineribus eorũ exuſcitant,quaſi de inueteratis eorũ vindemijs reſiduos racemos colligũt,uetuſtamq; turris Babylonicæ munitionẽ cõtra Eccleſiam dei noua ambitione reſuſcitãt. Balaam.n.Hebræis inueteratũ,Boſor aũt vindemiã ſiue munitionẽ ſignificat. An nõ amarũt aũt ij mercedem iniquitatis? q ꝓpter cõmoda ſua vel ſperata,vel amiſſa, Eccleſiæ aduerſari, eãq; cũ præſidibus ſuis probris & cõtumelijs afficere orſi ſunt. An neſcis, vnde nam Lutherus iſtã ſuã doctrinã orſus eſt? A V. Dic amàbo.

*Luth. ad duos pleb. de anabapt.*

*Errauerũt ſecuti uiam Balaã ex Boſor.*

*Balaam. Boſor.*

*Lutheranæ doctrinæ exort?*

bo. MO. Nempe quod alij cuidam, ac non ipsi, pontificiarũ veniarũ siue indulgentiarũ promulgatio, vnde ipse per magnũ quęstũ sperabat, delegata est. Quem bolũ cum sibi pręreptũ doleret, cępit homo vehemens pro cõcionibus exagitare primũ negociationũ, deinde negociũ oẽ indulgentiarum. In eo cũ se ei nõnulli opponerent, contentione prouectus est longius: Cũq; aduersari sibi præsides & instituta Ecclesiæ, & põtificis max. authoritate in primis premi se animaduerteret, in eũ furorẽ atq; amentiã erupit, nõ vt magnę Romę Archiepiscopum excõmunicaret (ob quod factũ olim Dioscorus Alexandrinus patriarcha à Chalcedonẽsi synodo damnatus est ac depositus) sed vt decretales superiorũ põtificũ epistolas, & canones Ecclesiasticos publicè homo priuatus dãnaret ac exureret: nec sit verit⁹ scripto edito affirmare, quòd maximo se beneficio affecturus fuerit Carolostadius, aũt quisquis alius persuadere sibi potuisset, in Eucharistia verũ Christi corpus & sanguinẽ nõ esse. Nulla .n. re Papatui, hoc est, vt alibi intẽpretatur, q̃d paulò ante audisti, vero Christianismo, magis incõmodari posse. Viden' Heliæ istius, vel, vt ipse mauult, Euangelistæ zelum atq; propositũ? Vnde perspicuè cernere licet, cuiusnã ille siue ꝓpheta, siue Euãgelista sit:

Euagr. histo. eccl. li. 2. ca. 4

Luth. ad Argentin.

Luc. 22. sta sit: Nēpe illius, q expetiuit vt cribraret Apostolos Christi, sicut triticum, & qui primis ꝓgenitoribus nostris paradisi fœlicitatem inuidens, perditus ipse, mendacio suo eos & oē genus humanū, quantū in ipso fuit, perdidit, & quo authore denicꝫ Balaā mercedē iniquitatis adamauit, vt ei populo malediceret, cui Deus benedicebat. An autē dissimulat scurra Vergerius, qbus rebus adductus, iurisiurandi religione violata (de quo etiā gloriari eū nō pudet) ad Lutheri, vel nescio cuius istorū castra transierit? An item nescis, unde alius qdā, si deo placet, Euāgelista & supintendēs nobis exortus est? Nimirū quod Apostolicum locū ad quē adspirauerat, necꝫ in Patria, necꝫ foris asseq potuit: Cūcꝫ ꝓ Episcopo iā sese gereret, spe sua frustrat⁹ est. Itacꝫ cū se prægrauāte suspiciōe purgare instituisset, ac nō obscuro piurio obstrinxisset, negotiatoris Euangelici exēplū secutus, vēditis oībus quę habuit (etiā sacerdotijs) emit sibi pciosam Margaritā: cumcꝫ domi nō sibi nasci liberos sciret, foris quęsiuit. Sed redeamus ad verba Petri. An nō sunt aūt
Hier. 2. isti fontes sine aqua, siue, ut Hieremias ait: Cisternę dissipatę, quę nō possunt cōtinere aquā illā viuā, de qua Christus locutus est, hoc est, spiritum sanctum? Sic enim Ioannes ipse in-
Ioan 7. terpretatur; Qui verba quidem scripturarū tenent,

tenent, ſenſum verò earum, à ſpiritu ſancto per ora ſanctorum patrum atq; Conciliorum proditum, & in Eccleſia Catholica, quæ eſt columna & firmamentum veritatis, per multa ſecula conſeruatum, reiiciunt. Non iſti ſunt nebulæ turbinibus exagitatæ, quibus caligo tenebrarum non modò gehennæ, verumetiam illarum, quibus obſcuratum eſt inſipiens cor eorum, & traditi ſunt in ſenſum reprobum, reſeruatur? Qui circumferuntur omni vento doctrinæ, & quod cuiq; in mentem venit, & quamdiu venit, iam ſic, iam aliter docent; non intelligentes neq; quæ loquuntur, neq; de quibus affirmant: & ad exitium, cum partim expreſsis ſcripturæ verbis, partim ſuis ipſorum ſcriptis, partim deniq; ipſa rerum euidentia, quamuis ſint impudentes, vrgentur à noſtris, ſpretis omnibus legitimis hominum iudicijs, ad tribunal Dei prouocant, vt interim ſine vlla cuiuſquam cenſura atq; coertione pro libidine ſua quiſq; quodlibet ſentiat, ac faciat. An non loquuntur autem iſti ſuperba vanitatis, cum ita ſcribunt; Si voluiſſem cum impetu procedere, induxiſſem in Germaniam magnam ſanguinis effuſionem, Imò orſus fuiſſem ludum Vormatiæ, ita vt Imperator non fuiſſet

*Nebulæ turbinibus exagitatæ.*
*Rom. 1.*
*Ephes. 4.*
*Brent. in Prologo.*
*Superba uanitatis loquentes*
*Luth. ſerm. fer. 2. poſt. Innoca.*

 tutus?

tutus? Orſus tu quidē es belua, ſiue Smalcal- diæ, ſiue Francofordiæ ad Mœnum: ſed tamen in eo ludo, iſti tuæ doctrinæ conſentaneo, tua mancipia minus tuta fuerunt, quàm pius Imperator, Iuſtiorem cauſam Deo non obſcuris documentis & ſucceſſibus comprobante: Quod tamē tibi viuenti ſpectare nō licuit, ſanguinis autem effuſionem et ipſe trucibus oculis tuis adſpexiſti, & poſteris ſpectandam reliquiſti. Alibi autem audi quid idem dicat: Dico igitur ego Martinus Luther domini noſtri Ieſu Chriſti indignus Euangeliſta, quod hunc articulum (ſola fides abſq; omni opere iuſtificat coram Deo) debent ſtantem ac manentem dimittere (ſic vertit quidā) Ro. Imper. (audi ſeſquipedalia verba) Turcarum Imperator, Tartarorum Imperator, Perſarum Imperator, Papa, omnes Cardinales, Epiſcopi, Preſbyteri, Monachi, Monachæ, Reges, Principes, domini, omnis mundus, omneſq; pariter dęmones. Et debent præterea infernalem ignem habere ſuper capita ſua, & nullam ad hæc gratiam. Hic ſit meus doctoris Lutheri inſtinctus à ſpiritu ſancto, & verum Euangelium. Quid verò, ſi huius beſtię tam magna & blaſphema loquētis cornua, nempe Melanchthonem, Brentium, Laſcum,

*Idem in gloſa. Germ. edicti Imperatorij.*

*Apoc. 13.*

Lascum, & cæteros eiusdem farinæ delicatiores, non semper tamen bene simulantes humanitatem & modestiam, legas vel audias? Quid si Caluinum, Illiricum, Vergerium, & alios, qui pleniore & verè Lutherano afflatu incitati, minus sibi simulandum ac dissimulãdum esse putant? Agnoscas in eis procul dubio si non voces, certè spiritus paternos, cum dicit apud Esaiam: In cœlum ascendam: super astra Dei exaltabo solium meum, & sedebo in mõte testamenti, in lateribus Aquilonis: Ascendam super altitudinem nubium: similis ero altissimo. Postremò an istis vanis & superbis sermonibus ac scriptis suis, varijsq; & peregrinis doctrinis, vix speciem pietatis habentibus, virtutem certè eius abnegantibus, non pelliciunt in desiderijs carnis luxuriæ, eos qui paululum effugiunt, qui in errore conuersantur? Iam id superius ex me audisti, & res ipsa loquitur. Quomodo autem pelliciunt? an non libertatem ipsis promittentes? At luce meridiana clarius est: nec ipsi diffitentur, nihil se aliud agere ac docere. Sed nec illud minus clarum est, quod ipsi sunt serui corruptionis, dantes libertatem in occasionem carnis, vt ait Paulus, et velamen habẽtes malitię libertatẽ, ut alibi Petr⁹ scribit:

*Esa. 14.*

*Pelliciunt in desiderijs carnis &c.*

*2. Tim. 3.*

*Libertatem ipsis promittentes.*

*Gal. 5.*

*1. Pet. 2.*

Iam ne igitur vides, quàm pulchrè eos Petrus quasi suis coloribus depinxerit? Quod & Iudas fecit in eandem ferè sententiam: Nisi quòd cum & ipse maximè illustri nota eos deliniasset, & quasi digito ostendisset, dicens, hos esse, qui segregant semetipsos (quod no ipsi quidem negant, neq; negare possunt, quamuis negent, vllam esse posse cuiquam satis iustam causam segregandi sese) adiecit, animales spiritum non habentes: vt ne quis expectet ab eis aliquid spiritu Dei dignum, vel doctrinæ eius consentaneum. Quo fit, vt nequaquam dubitandum sit, eos esse magistros mendaces, illusores, seductores, & falsos Prophetas, hoc est, hæreticos. AVL. Sunt quidem nonnihil ista, quæ dixisti hactenus de Euangelicis istis doctoribus atq; doctrina: Verum habebam alicubi, quæ tibi pro ipsis responderem, aut ex te quærerem: sed interpellare te dicentem ausus non sum, neq; potui, perpetuo cursu & impetu orationis tuæ abreptus. MON. Si hæc tibi satis non sunt, vide quid Christus ipse prædixerit: Surgent multi pseudoprophetæ, & multos seducent. Nonne hoc in Luthero ac discipulis eius expletum est? Nonne ij surrexerunt in Ecclesia sancta, in qua prius inter alios obscuri,

*In colloquio Vorm. 1557. Luth. in excus. quar. articul.*

*Math. 24.*

ſcuri, vel minus certè clati quàm vellent, latuerant, vt facerent ſibi nomen in terra? Nōne ſeduxerunt multos ab vnitate eiuſdem Eccleſiæ, de qua ipſi exiuerunt, & proteſtantium nomen, quo ſeceſsio coarguitur, ſibi ſūpſerunt? Non ſanè nos ab ipſis ſeceſsimus, verum ipſi à nobis: Ex nobis prodierunt (vt verbis Iohannis vtar) ſed non erant ex nobis. Nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent vtiq; nobiſcum, paceq; & charitate nobiſcum coadunarentur: quas duas res verbum Dei, quod iſti ſemper in ore habent, potiſsimum nobis Chriſtianis commendat. In hoc, inquit Chriſtus, cognoſcent homines, quòd mei eſtis diſcipuli, ſi dilexeritis inuicem. Ioannes autem in prima Epiſtola: Qui dicit ſe in luce eſſe, & fratrem ſuum odit, in tenebris eſt vſq; adhuc. De pace autem Chriſtus apud Marcū: Pacem (inquit) habete inter vos. Et Paulus ad Corinth: Pacem habete, & Deus pacis & dilectionis erit vobiſcum. Et ad Hebræ. Pacem ſequimini cum omnibus & ſanctimoniam, ſine qua nemo videbit Deum. De vtraq; idem Paulus ad Epheſios: Rogo vos ego vinctus in Domino, vt dignè ambuletis vocatione, qua vocati eſtis cum omni humilitate & manſuetudine, cum patientia, ſupportantes

*Seductores.*

*Chriſtianiſmi ſymbola.*

*Ioan. 13.*

*1. Ioan. 2.*

*Mar. 9.*

*2. Cor. 13.*

*Heb. 12.*

*Epheſ. 4.*

tantes inuicem in charitate, solliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis: Vnum corpus, & vnus spiritus, sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ. Hinc potes rectè colligere, istos, qui odio & maledicentia ardentes, talia, qualia modò audisti, docent ac scribunt, dissidijsq; & secessionibus pacem, concordiam, & mutuam populi Dei & Ecclesiæ Christi charitatem scindunt & lacerant, necq; ex nobis esse, necq; Christi discipulos, necq; in luce ambulare, multò minus alijs lucem afferre, necq; deum pacis & dilectionis secum habere, aut videre, aut alijs ostendere, necq; ad eandem nobiscum & cum populo dei spem vocationis pertinere, necq; denicq; spiritum Dei habere. Expectas ne autem, ut ipsi etiam de se, quod res ipsa & species doctrinæ non obscurè loquitur, disertis verbis confiteantur, cuiusnam prophetæ sint, & quo spiritu incitati scribant ac doceant? Nusquam illi quidem spiritum Dei & Christi non iactant, ita vt difficilè sit diuersam confessionem ab eis exprimere: Sed tamen cum princeps eorum & architectus gloriatur se cum sathana, vnum & alterum frustum salis comedisse, ac de missa cum eo disputantem firmis & inuincibilibus argumentis ab eo victum se esse fatetur,

*Lutherus quo spiritu incitatus fuerit.*

*Luth. serm. dom. Reminisc. Et de abrog. missa.*

fatetur, an non verissimè & rectissimè nos ipsi occinemus Paulinum illud? Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conuentio Christo (addam ego, & spiritui eius sancto) ad Belial? vides igitur qualem isti lucem mundo inferant: Nempe eam, de qua Bulingerus, vnus & ipse de vestris Euangelistis ita scribit: Sunt qui nouitatibus delectantur: Sunt qui vana gloria capiuntur, qui volunt videri nouam quandam lucem mundo inferre, aut aliquid singulare animaduertisse, quòd nemo priorum animaduerterit. Mihi quidem talis videtur esse lux ista, quali illuminati sunt post peccatum oculi Adami & Euæ: diabolica nimirum, Deoq; aduersa? Solus enim Christus est lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: Quem qui sequitur, non ambulat in tenebris. Proinde, si Lutherus quoq; & cætera pseudeuangelicorũ istorum turba illuminat, alia fuerit ista lux, Christi luci ac doctrinæ aduersa, qualem audisti modò. A V. Mittamus ista, quæ reprehensione digna fuisse videntur in dictis, scriptis, & factis eorum. Certè homines sunt & illi. Est autem humanum falli, labi, decipi.

*2. Cor. 6.*

*Buling. in assert. utriusq; naturæ in Christo.*

*Lux hæreticorum.*

*Gen. 3.*

*Ioan. 1.*

*Ioan. 8.*

MON.

MON. At id tu prius de Luthero negabas. AVL. Lapsi sunt nonnunquam & veteres doctores, quorum tamen authoritas apud vos penè sacrosancta est. Illa spectemus potius, in quibus hi doctrinam Euangelicam instaurarunt, quam vos monachi & sacrificuli nouis dogmatibus & superstitionibus vestris obscuraueratis, & luminib⁹ nostris officiebatis. MON. Quid istuc ais contra publicum pseudeuangelicorum istorum & protestantium consensum? Concesserunt enim hoc illi nobis in comitiis Imperialibus, nos esse veteris religionis: Cumq; aduersari se nobis in ea profiteantur, simul nouitatem suam videntur agnouisse. Sed age: Sit hoc tibi integrum per me, quandoquidem & isti vestri magistri nolunt se alligatos esse scriptis ac dictis suis. Quorum autem luminibus nos offecimus? AVL. Nostris, idiotarum siue laicorum: Sic enim à vobis appellamur. MON. Igitur aliter nos ipsi intelligebamus, quàm vos docebamus? AVL. Negas? MON. Non videtur. Nisi fortè alios libros habebamus, & priuata conuenticula, à quibus vos arcebamus. Verum hoc neq; Lutherus dictitat, neq; quicquam probare potest. Semper vobis patuerunt nostræ Scholæ atq; libri.

*Nouitas hereticorum.*

*Hereticorum calumnia de obscurato uerbo Dei.*

*Luth. & aliorum hereticorum doctrina noua et ab Ecclesiastica ueteri dissentiẽs.*

AVL.

AVL. Ergo ipsi quoque errabatis. MON. Vbinam? In Polonia tantum? an etiam vsquam alibi? AVL. Imò ex Italia & Roma in Germaniam, Bohemiam, Vngariam, & Poloniam omnia praua dogmata inuecta sunt. MO. Hispani igitur, Galli, Scoti, Siculi aliæque nationes Christianæ aliter sentiunt? AVL. Sentiebant olim: Sed illas quoque Roma infecit, cum principatum Ecclesiasticum in ijs vsurpasset. MO. Quid hoc est, nisi nugari? Quasi nõ prius pleræque illæ gentes, quàm nos ad Septentrionem remoti, Romanam Ecclesiam religionis magistram habuerint & agnouerint. AVL. Sit ita sanè: Verùm in Græca Ecclesia, in Africa, Asia, India, & in alijs regionibus, quæ non sunt, neque fuerunt sub iurisdictione Paparum, syncerius fortasis, & in honore suo conseruatum est Euangelium ac doctrina Christi. MON. Omnes certè Christiani fuerunt, ac debent esse sub vno præside & pastore. AVL. Verum: Sub Christo, non sub Papa. MON. Imò & sub Papá, veluti sub Christi vicario, & successore Diui Petri, cui Christus claues regni cœlorum tradidit, & oues agnosque suos pascendos & regendos commendauit. Sed reijciamus hoc in aliud tempus, agamusque id quod cœpimus. *Math. 16.* *Ioan. 21.*

G Ais

Ais ſyncerius, & in honore ſuo conſeruatam eſſe doctrinam Chriſti in illis Eccleſijs aut regionibus, quæ non ſubſunt iuriſdictioni Papæ: At res ipſa contrarium loquitur. Atq; id tu quoq; intelligere mihi viſus es, quando timidè ac dubitanter locutus es. Verum id q̊q; in aliud tempus ſeruemus, illud quidem luculentè probari poteſt, in pleriſq; omnibus, in quibus Lutherus ac diſcipuli eius (quod citra inuidiam dictum ſit) Romanæ & occidentali Eccleſiæ aduerſantur, Græcos, Indos, Aſiaticos, atq; Africanos omnes, quamuis ſeſe & ipſi ferè ſegregarint, magis nobiſcum, & cum Romana Eccleſia, quàm cum Euangelicis iſtis Lutheranis, Sacramentarijs, Anabaptiſtis, Picardis, & cæteris huius temporis peſtibus conſentire. Quod apud vicinos noſtros Ruſſos atq; Moſchos, qui ſe Græcos ſequi profitentur, apertè videre licet. Eſt apud eos in ſumma veneratione euchariſtia, aſſeruaturq; etiam in templis ſub ſpecie panis, quamuis fermentati, & infuſo ſanguinis poculo: atq; ita indurata, cum opus eſt, frangitur, & ægrotis vino vel aqua infuſa præbetur: Eſt ſacerdotium, ac cæteri ſacri ordines: ſunt legitimæ, noſtriſq; ſimiles initiationes: Eſt Iuriſdictio Eccleſia-

*Schiſmatici magis conſentiunt cum Eccleſia Rom. quàm cum hæreticis noſtri temporis.*

*Ruſſorum & Græcorum dogmata.*

ſtica:

ſtica: Eſt ſacroſancta Patrum, Conciliorum, & Canonum Eccleſiaſticorum authoritas: Eſt ſacrificium, & in eo eius, qua initio eis ſacra tradita ſunt, linguæ vſus retinetur, licet ea vulgo non vſquequaq; intelligatur. Eſt cœlibatus votum, cùm ipſum per ſe in viris & fœminis, tum ſacris ordinibus annexum, ita vt presbyteris ac diaconis matrimonium contrahere non liceat, ſi miniſterio ſacro fungi velint: licet ante initiationem ductas vxores retineant: Epiſcopi verò ne ante initiationem quidem ductis vti poſsint. Eſt & Chriſma apud eos, & alij ſacramentorum ritus & cæremoniæ, deq; eorum efficacia certa perſuaſio. Eſt inuocatio ſanctorum, & ſumma imaginum, memoriarum, & reliquiarum eorum, & crucis CHRISTI veneratio, maximuſq; & religioſiſsimus ea ſignandi vſus: ſunt feſti dies: ſunt ſtata ieiunia cum delectu ciborum: & pro DEI cultibus habentur: Fiunt preces & Eleemoſynæ pro defunctis, & anniuerſariæ oblationes: Creduntq; & ipſi his animas defunctorum adiuuari, & è Purgatorio eximi: Niſi quòd non ignem, ſed caliginē quandam aſpectu diuino animas arcentem,

illi purgatorium esse volunt. Sunt apud eos & satisfactiones pro peccatis: Sunt merita bonorum operum: magna est dignitas vitæ monasticæ; magna vis votorum: Sunt benedictiones rerum ad vsum humanum & sacrum accommodatarum: Sunt cerei, picturæ, vestes sacræ, & quæ præterea ad cultum ornatumq; templorum pertinent. Verum dies me defecerit prius, quàm omnia enumerem; in quibus illi nobiscum, & cum Romana Ecclesia consentiunt, ab istis verò pseudeuangelicis nouatoribus longè dissentiunt, ita quidem, vt eorum nouationes oderint peius cane & angue, vt ait quidam: neq; ferant eos inter se, cum ferant tamen Catholicos. Mitto Bohemos Hussitas siue Calixtinos, & Armenos, qui ꝓpius etiam ad instituta eiusdem Ecclesię accedere vidētur. A V. Fortasſis & isti populi aberrarunt à recta via Euāgelij, partim priore Romanæ Ecclesiæ commercio & consuetudine seducti, partim quòd neq; libros, neq; doctos viros, neq; scholas inter se habeant, ij præsertim, qui à barbaris veri Dei ignaris subacti, in seruitute sunt. Olim autem alius eorum fuit sensus, cum ij libertate, doctrina, opibusq; florerent. MON. Erras. Nam Russi quidem & Moschi iam inde ab initio per sex-

per ſexcentos annos alieni fuerunt à Romana Eccleſia. Armeni uerò, & Bohemi, & Græci cũ florerent maximè rebus omnibus, tunc magis quàm nunc cum ea idem ſentire ſtudebant, nõ ignari, quàm haberet ſedes d. Petri prærogatiuam. Poſteaq; aũt ab ea ſe ſegregarunt, plura ſibi, quò authoritatem eius labefactarent, mutare & nouare permiſerunt. Quanquam, deo ſit gratia, Bohemi nobiliſsimi quiq; cum ſubiectis ſibi plebibus, & ciuitates ferè primariæ gentis eius retinent etiam nunc fidem Catholicam, & Romanæ Eccleſiæ authoritatem agnoſcunt, neq; vnquam ab ea receſſerunt. Armeni verò perſtant & ipſi, ni fallor, in eo, quod in Florentino Concilio ante centum quadraginta annos publicè profeſsi ſunt, & maieſtatem Eccleſię Romanæ eiuſq; prẹſulis, quoad per barbarum Tyrannum licet, libenter agnoſcunt. AVL. Atqui Romæ quoq; & per vniuerſum orbem Chriſtianum, ſicut ego audio, multa ſecus recepta fuerunt ab initio naſcentis fidei, & in primitiua, vt vocant, Eccleſia, quàm nunc ſeruantur ac docentur. MON. Quampridem igitur facta eſt mutatio? AVL. A quadringentis, aut quingentis, aut ad ſummum ſexcentis annis. Quanquam alij memorant à mille fermè annis errores in

Ecclesia pullulasse. MON. Hem. Vel ipsa ista varietas & inconstantia dictorum, mendacium istorum arguit. Facilè autem ego hunc errorem refellerem, si tibi demonstrarem partim ex historijs, partim è sacris doctoribus, partim è concilijs, in Africa, Asia, Græcia congregatis, à quadringentis, sexcentis, nongentis, & mille annis non aliter sentire Romanam Ecclesiam, quàm ante mille ducentos, trecentos, & quingentos, non modò ea ipsa, verumetiam Africana, Græca, Armena, Indica, Asiatica, hoc est, quæ sub Constantinopolitano, Alexandrino, Antiocheno, & Hierosolymitano Patriarchis erant, senserunt: Neque quicquam immutatum esse, aut pauxillum sanè, & in leuioribus rebus, & quæ, vel istorum magistrorum vestrorum confessione, per se sunt libera & adiaphora, ita vt nihil referat, sic ea seruentur, an aliter: Atque id pro ratione temporum, atque vtilitatis Christiani populi factum est voluntate & authoritate eorum, qui præerant Ecclesiæ, Quos constituit Dominus super familiam suam, vt dent illi in tempore tritici mensuram, Quosquè, vt ait PAVLVS, spiritus sanctus constituit regere ECCLESIAM DEI.

Luc. 12. — Acto. 20.

DEI. Cum igitur tantus ſit populorum ac ſæculorum in religione, quàm nos in Eccleſia per DEI gratiam retinemus, conſenſus, & ab eo veſtri iſti pſeudeuangelici diſſentiant, non eſt dubium, doctrinam eorum nouam & peregrinam eoquè falſam & hæreticam eſſe: Verum enim, vero non eſt contrarium, ſed falſum vero. Atque ita ipſos etiam authores & aſſertores eius, eſſe falſos Prophetas, magiſtros mendaces, & hæreticos, & in quos iure optimo quadret illud Paulinum, Si quis aliter vobis euangelizauerit, præter quod accepiſtis, anathema ſit. *Gal. 1.* Nunquam ſane quiſquam probabit, iſta, quæ Lutherus, ac cæteri iſti, (ſi Deo placet) euangelici diuerſa à nobis docent, à Chriſto vel Apoſtolis eius eodem modo eſſe tradita, & in Eccleſia Dei rata vnquam fuiſſe & recepta. Illud verum eſt, noſtra memoria primum extitiſſe Martinum Lutherum, qui cum idem nobiſcum prius ſenſiſſet, & in eadem regula manſiſſet, paradoxa quędam dogmata, & maioribus noſtris, totiq; Eccleſię Chriſti partim incognita prorſus, partim damnata prius & eliminata, protulerit & exuſcitarit. Ac illa quidem ipſe primus de ſuo commentus eſt: *Lutheri dogmata noua.*

Solam

Solam incredulitatem esse mortale peccatum: Bona opera, quantumuis rectè facta, esse peccata: vel in omni opere bono iustum peccare: Nullum esse posse hominis Christiani meritũ ad gloriam: Qui fidem in Christum habeat, vtcunq; viuat, certum eum esse debere, de gratia dei & iustitia sua: Iustitiam à Christo nobis nõ infundi, sed imputari tantũ: Baptismo non deleri peccata, Manere enim in baptizatis concupiscentiam, quæ verè peccatum sit: Christum nihil præcepisse, nec vllum esse in Euangelio præceptum: Hominem Christianum liberum esse ab omni obseruatione legis & bonis operibus: Cultus Dei sine præcepto ipsius institutos, non esse recipiendos: Nullo sacramento imprimi characterem: Pœnitentiam à timore gehennæ ortam, noxiam esse: Contritione fieri hominem hypocritam & peccatorem: Satisfactionem pro peccatis & pœnis nullam ab homine, quamuis Christo sit insitus, fieri posse: & impium esse dogma satisfactionis: Eum, qui credat se absolutum esse, etiamsi non à quo oportet, nec quomodo oportet, atq; adeo ioco id factum sit, nec eum admissorum pœniteat, certò esse absolutum: Habere autem potestatem absoluendi etiam puerum & fœminam: Ad Eucharistiam

susci-

ſuſcipiendam nulla eſſe opus præparatione aut pœnitentia: Miſſam non eſſe ſacrificium, ac ne bonum quidem opus, ſed idololatriam: Et impium eſſe, peragi eam pro uiuis aut mortuis: Chriſtianos omnes ex æquo ſacerdotes eſſe, adminiſtrationem autem conferri cuipiam à multitudine: Matrimonium non eſſe ſacramentum: Tametſi hoc fortaſsis à Græcis & Armenis mutuatus eſt: Atq; adeò vnicum eſſe ſacramentum, baptiſmum videlicet: Corpus Chriſti in euchariſtia non eſſe adorandũ: Cœlibatum ſacerdotum, quamuis caſtum, eſſe damnabilem: Virginitatem nugas eſſe & Sathanæ mendacia: Epiſtolam ad Hebræos et Iacobi Epiſtolã eſſe nothas et Apocryphas, itemq; Apocalypſim Ioannis, & libros Machabæorum: Bellum gerere, atq; adeò illatum etiam à barbaris depellere, nefas eſſe Chriſtianis: quin & apud Iudicem agere de iniuria: Nullum eſſe apud Chriſtianos magiſtratum, ſiue ſuperioritatem: Hæc ferè ille de ſuo protulit. Diſcipuli autem eius, quaſi non ſatis prophanarum nouitatum magiſter effudiſſet, adiecere poſtea, Nullum eſſe diſcrimen inter præceptum & conſilium: Nihil vouendum eſſe Deo, quod verbo ipſius præceptum non ſit; Infantes baptizatos rebaptizandos eſſe

*Pſeudeuangelicorum recẽtiorũ dogmata*

cum adoleuerint, eò quòd credere non potuerint cum baptizarentur: Corpus & sanguinē Christi in Eucharistia non verbo Dei fieri; sed vsu & sumptione. Absq; eo namq; esse merum panem & vinum: Cū pane corpus tantū, cum vino tantū sanguinem sumi. Nisi fortè ab Hussitis siue Calixtinis hoc sumpserūt: Impios nō sumere in Eucharistia corpus & sanguinē Christi: Hominem ea iustitia, quę deus ipse sit, iustificari: Quod nescio an Manichæum sit etiam. Externum verbi dei ministerium superuacaneum esse: Reuelationibus Dei Christianum hominem sine scriptura sacra atq; doctrina instrui, quid eum facere oporteat: Nisi fortè Cataphrygum, hoc est, Diuortium inter Christianos coniuges ob quoduis dissidium, imò è quauis causa fieri posse. Tametsi Russi quoq; idem sentire videntur: Christum secūdum humanam naturam esse verum, proprium & naturalem filium Dei. Christum in cruce desperasse, & pœnas gehennæ gustasse mortalium: Imaginem dei fieri quemlibet hominem Christo indutum, perinde ac ipsum filium Dei: Christum secundum diuinam tantùm, vel secundum humanam tantùm naturam humanum genus iustificare: Sacramenta vel duo, vel tria, vel quatuor tantùm esse: Cę-

remo-

remonias omnes à cultu diuino esse excludẽdas: Alij porrò nihil referre putant, siue quis vtatur ceremonijs, siue nõ. Mitto multa alia, quę ab ijs excogitata sunt, & indies adhuc excogitantur, absurdiora etiam. Ante centum aũt & quadraginta vel quinquaginta annos extitit Ioãnes Huss in Bohemia: Nec ita multò antè Vicleffus in Anglia, qui in Concilio Constantiensi damnati sunt: à quibus vestri isti pseudeuangelici cum suo Luthero illa maximè dogmata mutuati sunt: In sacramento Eucharistiæ panem & vinum simul esse cum corpore & sanguine Christi: Missam humanum esse inuentum: Excommunicationem nemini esse timendam: Crucem Christi non esse adorandam: Mendicantium sodalitia esse dãnabilia. Quanquam quod ad excõmunicationem attinet, vestri alacriter excipiendam, ijdemque missam idololatriã esse volunt. Nam dãnationẽ cõmunionis Laicæ, hoc est, sub specie panis tantùm, quasi contra Christi præceptum institutæ, ab Hussi demum successoribus, Petro Dresdensi & Iacobello sumpserunt. Ante hos enim neque Huss, neque quisquam eã dãnare adortus est. Porrò illa: Confessionem, quę fit homini sacerdoti, & cõfirmationẽ, & vnctionem extremam Sacramenta non esse: Episcopos, & concilia, & Ecclesiam nullos posse

*Huss.* *Vicleff.* *Hussitarum dogma.* *Valdensium ac Picardorũ propria dogmata.*

 con-

condere canones: Pontificis max. siue Papæ nullam esse eximiam præ cæteris Episcopis authoritatem: Episcopos & presbyteros, qui peccatis obnoxij sint, desinere esse id quod fuerunt: Magistratibus quibusuis peccatoribus parendum non esse: Ecclesiæ & ministris eius non licere vlla bona possidere: Indulgentiarum vsum nullũ esse, nec facultatem earum vllam penes præsides Ecclesiæ: Benedictiones aquæ, salis, panis, vini, herbarum, fructuum, chrismatis, olei, fontis baptismalis, & aliarum rerum à deo ad vsum hominum creatarum abominandas esse: Monachatum diabolicum esse inuentum: In baptismo nihil esse adhibendum, præter aquam: Prædicationem verbi Dei cuiq; liberam esse debere: Hæc (inquam) & si qua sunt alia, ante trecentos vel prope quadringentos annos à Valdensibus siue Picardis, terræ filijs, & incerto authore progerminatis, excogitata, nec nisi in exiguo terræ angulo radicata, illi primum, quos dudum commemoraui, Viclefus & Huss, deinde longè post vestri isti pseudeuãgelici, authore Luthero, renouarũt, nonnulla magis etiam deprauãtes. Quale est, quòd pontificem max. siue Papam non modò cogunt in ordinem, sed etiam hominem

pecca-

peccati & Antichristum esse asseuerant. Quędam tamen etiam in ijs & isti, & illi arbitratu suo reprobarunt. Bohemi quidem ij, qui Calixtini dicuntur, & Hussi doctrinam sequi se profitentur, hæc quoqꝫ, quæ modò recensui, pleraqꝫ omnia Picardorum, & Viclefi etiam dogmata damnant, habentqꝫ Picardos pro hæreticis, atqꝫ etiam Lutheranos. Verum ipsi quoqꝫ licet in paucis quibusdam, ab Ecclesia tamen Catholica dissentiunt. Nescio verò an ijdem cum Picardis, an progenitores eorum fuerint ij, qui se tempore Bernardi vocabant Apostolicos, homines rusticani, nec ipsi certum authorem habentes: Qui neqꝫ agros, neqꝫ possessiones vllas habebant: nos verò irrident (inquit Bernardus) quia baptizamus infantes, quòd oramus pro mortuis, quòd sanctorum suffragia postulamus: Nõ credũt aũt ignem purgatoriũ restare post mortem. Iam verò, qui Ecclesiam non agnoscunt, non est mirum, si ordinibus Ecclesiæ detrahunt; si instituta non recipiunt, si sacramenta contemnunt, si mandatis Episcoporũ non obediunt: Peccatores (inquiunt) sunt Apostolici, Archiepiscopi, Episcopi, presbyteri, ac per hoc nec dandis, nec accipiendis idonei sacramentis. Ab his quoqꝫ pseud-

*Apostolici hæretici.*

*Bern. in cantica canti. hom. 65.*

euangelici isti pleraq; mutuati sunt. Nonnulla tamen eorum dogmata repudiarunt. Sed ea quoq;,quæ tunc siue Husso, siue Vicleffo,siue Picardis, siue Apostolicis istis authoribus exorta sunt,noua sunt admodum & nupera,si ad rationem superiorum temporum, quæ inter illos & Christum Apostolosq; intercesserunt,referas: Et non in Picardia, aut Gallia, neq; in Anglia, aut in Bohemia, Christus quæri se iussit: Imò præmonuit nos,dicens:
Math.24. Si quis uobis dixerit:Ecce hic est Christus,aut illic:Nolite credere. Et:Si ergo dixerit vobis: Ecce in deserto est,id est, alibi quàm in Ecclesia Catholica, nolite exire; Ecce in penetralibus,& ignoratis hactenus dogmatibus, nolite credere. Damnati sunt autem illi cum dogmatibus suis à quibusdam Concilijs, & ab vniuersa CHRISTI Ecclesia pro hæreticis habiti sunt & habentur: Et magna pars illorum populorum, quorum mentionem dudum feci, vel resipuit paulò pòst, vel initio peruersa illa dogmata non suscepit.
Berengarius. Iam in Eucharistia non esse verè corpus & sanguinem Christi, quod magna pars istorum Euangelicorum, Carolostadio, Zuinglio, & Occolampadio, Lutheri vel discipulis,

pulis , vel æmulis authoribus , asseuerat, primus ante quingentos & quinquaginta annos docuit Berengarius in Gallijs. Sed dãnatum est id dogma, velut hæreticum & impium, à Vercellensi, Turonensi & Romano concilijs, nec radices tunc vsquam egit: ipseq; Berengarius id retractauit. Porrò ante mille annos docuit Donatus in Africa, *Donatus.* Ecclesiam CHRISTI bonis tantùm & electis constare, & esse eam inuisibilem. Pelagius Britannus, iustificatos per fidem *Pelagius.* sine peccato esse posse in hac vita. Vigilantius *Vigilantius.* in Gallia, sanctos, qui ex hac vita ad aliam commigrarunt, non esse venerandos, neq; inuocandos, vt nos precibus suis adiuuent. Iouinianus in Italia, Omnia *Iouinianus.* peccata esse paria: Continentiæ votum stultum esse, nec seruandum: Ieiunium nullius esse meriti apud DEVM, Nec vllum in eo seruandum esse delectum ciborum: Castitatem non esse maioris meriti apud Deum, quàm coniugium; Sanctorum reliquias non esse venerandas, neq; festos dies colendos. Aliquanto autem antè in Græcia *Aetius & Eunomius.* Aetius quidem & Eunomius, fide sola saluari hoẽs, neq; damnari quenquam credentẽ,

quam-

quamuis ſceleratum & peccatorem. Aërius verò, & ipſe Arianus: Nullum eſſe diſcrimen inter presbyterum & Epiſcopum: Pro mortuis orandum & ſacrificandum non eſſe: Ex præcepto non eſſe ieiunandum, neq; quarta & ſexta ſabbathi, neq; quadraginta diebus ante paſcha, neq; vllum aliud ieiunium: ſed quando cuiq; libet: Lugubres cęremonias, quæ in commemoratione paſsionis Chriſti Dñi noſtri ante paſcha peragi ſolent, aliaq; inſtituta Eccleſiaſtica, ineptias eſſe. Verũ ea quoq; noua, & ſuperiorum temporum Eccleſię incognita & aduerſa tunc erant dogmata, eoq; nomine non modò à Papa aut Italis, aut ijs deniq; populis, qui Romanę Eccleſiæ authoritatem agnoſcunt, ſed ab vniuerſo cœtu Chriſtianorum repudiata, teſtibus Epiphanio, Hieronymo, Auguſtino, Proſpero Aquitanico, & alijs temporis illius ſcriptoribus, paulò poſt extincta ſunt: quia non erãt ex Deo. Et tamen ea veſtri iſti pſeudeuangelici tanto quaſi poſtliminio reuocarunt & reſuſcitarunt, & pro doctrina Chriſti & Apoſtolorum, iam inde ab initio in Eccleſia dei perpetuo conſeruata, imperitis inculcant: Sicut & illa: Hominem non eſſe liberi arbitrij: Deum hominibus impoſsibilia præcepiſſe:

*Hæreticorum uetuſtiorum dogmata.*

Præ-

Præſcientiam dei neceſsitatem afferre voluntatibus & actionibus hominum, atq; ita Deum cauſam eſſe peccati propriè & efficienter: Chriſtianorum infantes ſine baptiſmo immunes eſſe ab originali peccato; Peccatum non deleri in baptiſmo; Per ſacramenta non conferri gratiam: Ordinem ſacrum non eſſe ſacramentum; Confeſsionem non eſſe inſtitutum Apoſtolicum: Mulieres poſſe fungi ſacerdotalibus muneribus: Legem Moſaicã non pertinere ad Chriſtianos: Filium Dei nõ eſſe verbum, nec appellari hoc nomine in S. ſcripturis; Imaginem Dei in anima ſimul & in corpore eſſe; Imagines ſacras in templis ferendas non eſſe: Animas piorum poſt mortem vſq; ad extremum Dei iudicium quieſcere in abditis quibuſdam terræ receptaculis: Chriſtum paſsum eſſe etiam ſecundum diuinam naturam: Eiuſdem humanam naturam in diuinam conuerſam eſſe, poſteaquam in cœlum aſcendit: Eundem de cœlo, ac non de virgine carnem ſumpſiſſe, aut phantaſticum ac non verum corpus habuiſſe: A Carpocrate, Valentino, Marcione, Manichæis, Pepuſianis, Alogianis, Maſsilianis, Audianis, Iconomachis, Catharis & Armenis prodita. Illa item: Chriſtum purum hominem, ac

*Carpocrates. Valentinus. Marcion Manichæi. Pepuſiani. Alogiani. Maßiliani. Audiani. Iconomachi. Cathari. Armeni.*

I non

non Deum quoque fuisse: Nullam deinceps futuram esse hominum à morte resurrectionem: & si qua sunt alia, quæ cum illis, quos dudum commemoraui, vetustiores etiam, & Apostolis ferè æquales, nempe Ebionem, Cherinthum, Hymenæum, Philetum, authores habeant, his etiam nostris temporibus suos repererunt assertores, è vestris scholis profectos. Quamuis enim ea vetusta sint, tamen quia non ab Apostolis aut Apostolicis viris Ecclesiæ tradita, nec ab ea recepta, sed reprobata sunt potius cũ suis authoribus, nec multo pòst obliterata penitus, noua meritò habẽda sunt, ac illius generis, de quo scribit Paulus ad Galathas: Si quis vobis Euangelizauerit prę̃ q̃d accepistis, anathema sit. Ne illud quidem nouum est, asseuerare, quòd concilia generalia legitimè congregata errare posſint aut soleant in ijs, quę sunt fidei, Sed fuit id semper iam inde ab Ario, commune cunctis hæreticis, & ab Ecclesia Christi simul cum assertoribus suis damnatum. Istos igitur vos habetis ꝓgenitores, ac euãgelij uestri & alienorũ deorũ authores, alienos ab Ecclesia Christi, & in circuitu eius ambulãtes, quorum succesſione gloriari uobis licet. Est ne autem credibile, per tot secula, quæ inter hos, quos modò enumeraui,

*Ebion. Cerinthus. Hymeneus. Philetus.*

*Continuatio dogmatum.*

raui,

raui hęreticos, & Lutherũ, quicq; eum secuti et cõsecuti sunt, aut per superiora illa, quæ inter Apłos & eos ipsos, q̃uis diuersis tẽporibus exortos, intcesserunt, Ecclĩã à spõso suo Christo ac spiritu sãcto habitã esse derelictui? AV. Ego hoc nõ dico. MO. Sed dicit ꝓpugnator ac fabricator cõfessionis Augustanæ, de iustitia fidei oĩa tẽpla, monasteria, scholas, denicq; oẽs libros Theologorũ recẽtiũ mutos fuisse. AV. Atqui & istorũ, quos tu modò cõmemorasti, temporibus, & oĩbus fuerunt semper, & sunt etiam nunc, & post nos erũt, nõ solum in illis regionib⁹, quarũ fecisti mẽtionẽ, sed ꝑ uniuersũ orbẽ Christianũ, q̃s de⁹ à Papisticis & monasticis vestris dogmatib⁹ ĩmunes, in vera religiõe, quę ꝑ Lutherũ à tenebris uindicata est, seruauit, seruat, seruabitq;. MO. Vbinã quæso isti latuere? Cur nulla eorũ extat memoria, sicut extat Iouiniani, Hussi, Vicleffi, Berẽgarij, Donati, Aẽrij, Marciõis? Cur nõ norũt int se? aut cur mẽtionẽ sui inuicẽ nullã fecerũt, pręsertĩ cũ cæteri oẽs Christiani aliter sentirẽt, illacq; eorũ dogmata tanq̃ noua, hęretica, & ab ecclesia Christi aliena dãnarẽt? Certè ad stabiliendum dogma q̃duis magnopere pertinet, si ostẽdat id nõ nouũ, nec unius alicui⁹, uel paucorũ & obscurorum hominum priuatum esse: *Catholicum dogma quomodo cognoscendum.*

ſed hos, & hos, illuſtres doctrina, virtute, & pietate viros ita ſenſiſſe, & ſentire, nec in vno terræ angulo, neq; in vno æuo, verùm à longis temporibus perpetuò: Omneſq; vel præcipuas gentes, quæ in concordia religionis perſeuerarint, id amplexas eſſe & ſeruare. Vbi hæc omnia concurrerint, id demum argumēto eſt, non nouū illud eſſe dogma, ſed inſtitutum, aut morem receptum Eccleſiæ Catholicæ, Chriſtiq; & Apoſtolorum eius doctrinam. Chriſto enim Deus pater dedit hæreditatem (non vnum aut alterum hominem, neq; vnam aut alteram gentem, ſed) gentes, quemadmodum ait Dauid: & poſſeſsionem eius (non hanc vel illam regionem, ſed) terminos terræ. Alibi verò: Regnum tuum (inquit idem) regnum omnium ſeculorum: non vnius, duum, triumúe. Niſi fortè nunc humanæ vires & fraudes diuino conſilio reſiſtere, & gloriam Dei opprimere poſſunt. At is idem eſt etiam nunc, qui ante mille & aliquoties centum annos, Hebræorum & gentilium ſapientes atq; tyrannos, admirabili conſilio ſuo deuicit, & illis inuitis & reluctantibus religionem atq; doctrinam ſuam in vniuerſo orbe terrarum propagauit: quiq; Apoſtolis & prædicatoribus ſuis promiſit, ſe daturum os &

*Eccleſiæ Chriſti amplitudo*

*Pſal. 2.*

*Pſal. 144.*

*Luc. 21.*

os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere, & contradicere vlli aduerſarij: qui etiam recepit, portas inferorum, hoc eſt, hæreſes non eſſe præualituras aduerſus Eccleſiam ſuam: Et quod recepit, abundè præſtitit. Neq; enim vnquam præualuerunt hæreſiarchæ, quamuis doctrina & artibus diſputandi ac perſuadendi inſtructi, ſcripturarum ſacrarum prompta recitatione iactabundi, mille dolis & mendacijs ad fallendum exercitati, armiſq; & potentia maximorum principum & populorum nixi. Tametſi viſi ſunt nonnunquam aliquouſq; præualere, Deo permittente, vt qui probati erant, inter nos manifeſti fierent, ſicut ait Paulus, & repurgato tritico paleæ ventilabris illis ex area, hoc eſt, Eccleſia Dei excuterentur, igni extinguibili reſeruatæ. Ne igitur patiare tibi perſuaderi, antiquam Eccleſiæ Chriſti iſtam eſſe doctrinam, quam Lutherus ac cæteri noſtri temporis hæretici & pſeudeuangelici pro euangelica iactitant. Quamlibet autem ea vetuſtos authores habeat, ſicut modò commemoraui, noua eſt tamen: quod ipſi quoq; non non diffitentur, cum nos publicè veteris eſſe religionis agnoſcunt: Nec immeritò. Non ita pridem enim, cum idem antea ſaperemus omnes,

Math. 16.

Hæreſes nunquam præualuerunt aduerſus Eccleſiam.

1. Cor. 11.

Luc 3.

Phil. 3.

nes, & in eadē regula permaneremus, in vno quodam Christiani populi angulo ea extitit, & cum profanis priorum hæreticorum (quos tamen authores iactare erubescit) nouitatibus congruens, pugnat cū receptis antiqtus moribus, institutis, & canonibus sanctæ Ecclesię, ab Apostolis et Apostolicis viris per uniuersum mundū propagatæ; ita, vt meritò authores & propagatores eius doctrinæ ex eorum numero haberi debeāt, qui cum in medio nostri surrexerint, quemadmodū scribit Moses, dicūt nobis, & persuadere volunt, vt eamus, & seruiamus dijs alienis cunctarū in circuitu gentium, quæ iuxta vel procul sunt, sicut iam dixi & exposui. Sed quid mirum est, doctrinā istam pseudeuangelicam pugnare cum receptis moribus, institutis, & canonibus Ecclesiæ Christi, quando pugnat cum Christi ipsius doctrina, & scripturis Apostolicis, ad quas isti semper, quemadmodum omnes ferè hæretici, prouocant; Necq ego de ijs scripturis nunc loquor, quæ fortassis aliter atq aliter queant intelligi: verùm de ijs quæ claræ sunt, nec facilè patiuntur variam interpretationem. Qualis est de corpore CHRISTI: Accipite & comedite: hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur; De eo quod impleri

*Deut. 13.*

*Lutherana doctrina pugnat cum S. scriptura.*

*Math. 26.*

impleri posſint mandata DEI: Et mandata eius grauia non ſunt. Et: Omnia poſſum in eo, qui me confortat. Et quod Chriſtus dixit: Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue. De diſcrimine peccatorum: Qui ſcit fratrem ſuum peccare, peccatum non ad mortem &c. Et mox: Eſt peccatum ad mortem. De fide iuſtificante: Euacuati eſtis à Chriſto, qui in lege iuſtificamini, à gratia excidiſtis: Nos enim ſpiritu ex fide ſpem iuſtitiæ expectamus. Et mox oſtendit, qualis nã ea ſit fides. Nam in Chriſto Ieſu (inquit) neq; circumciſio aliquid valet (nimirum ad iuſtitiam ſiue iuſtificationem) neq; pręputium: Sed fides quę per charitatem operatur. Et Chriſtus ipſe: Remittũtur ei peccata multa, quoniam dilexit multũ. Additq;: fides tua te ſaluam fecit: vt oſtendat, fide quidẽ nos iuſtificari & ſaluos fieri, ſed non ſola, neq; nuda. De iuſtitia noſtra, quod verè nobis à Deo cõferatur, ac non imputetur tantum: Sed abluti eſtis, ſed ſãctificati eſtis, ſed iuſtificati eſtis. Et in Euangelio: Si filius vos liberauerit, verè liberi eritis. Neq; enim aliud eſt liberatio à peccato, quàm iuſtificatio. De magiſtratibus Eccleſiaſticis, eorumq; authoritate: Attendite vobis, et uniuerſo gregi, in q̃ uos ſpũs ſanctus

1. Ioan. 5. — Phil. 4. — Math. 11. — 1. Ioan. 5. — Gal. 5. — Luc. 7. — 1. Cor. 6. — Ioan. 8. — Acto. 20.

poſuit

posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. Et: Obedite
Heb. 13. prępositis vestris, & subiacete eis: Ipsi enim peruigilant, quasi rationem pro animabus vestris redditurj: Vt cum gaudio hoc faciant, & non gementes. Hoc enim nō expedit vobis.. De satisfactione: Quod si nosmetipsos
1. Cor. 11. iudicaremus, non vtiq; iudicaremur. Et: Si-
Rom. 6. cut enim exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibite membra vestra seruire iustitię in sanctificationem. De lege Euangelica: De
Esa. 33. Sion exibit lex. Et: Dominus iudex noster,
Hier. 31. Dominus legifer noster. Et ipse Christus:
Ioan. 13. Mandatum nouum do vobis. De meritis
Math. 16. bonorum operum: Filius hominis reddet
Math. 5. vnicuiq; secundum opera eius. Et illud: Mer-
Mar. 9. ces vestra copiosa est in cœlis. Et apud Marcum: Quisquis potum dederit vobis calicem aquæ in nomine meo, quia Christi estis, Amen dico vobis, quia non perdet mercedem suam. De Baptismi efficientia, & necessitate
Ioan. 3. etiam in paruulis: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in
Malach. 1. regnum Dei. De sacrificio Christianorum: in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda. Et: sacrificantibus aūt

illis

illis Domino. Etsi enim apud nos est in veteri *Act. 13.*
translatione, ministrantibus; tamen Lucas
Graece λειτουργούντων scripsit: q̃d proprie apud
Christianos ad ministerium sacerdotale, hoc
est, ad sacrificium pertinet: Sicut & alibi idem *Luc. 1.*
Lucas de Zacharia sacerdote scribens, mini-
sterium eius sacerdotale λειτουργίαν appellat. De
eo quod Deus malorum nostrorum seu pec-
catorum author nõ sit: Non deus volens ini- *Psal. 5.*
quitatem tu es. Et: Deus enim intentator ma- *Iac. 1.*
lorum est; Ipse autem neminem tentat. Vnus-
quisq; verò tentatur à concupiscentia sua ab-
stractus & illectus. De Confessione: Con- *Iac. 5.*
fitemini alterutrum peccata vestra. Et: Acci- *Ioan. 20.*
pite spiritum sanctum: Quorum remiseritis
peccata, remittuntur eis, & quorum retinue-
ritis, retenta sunt. Qui locus etiam sacerdo-
tium Christianum, quod isti euertere conan-
tur, sancit: Sicut & ille: Posuit in nobis ver- *2. Cor. 5.*
bum reconciliationis &c̃. De extrema vnctio- *Iac. 5.*
ne: Infirmatur quis in vobis, inducat pres-
byteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngen-
tes eum oleo in nomine domini &c. Et Apo- *Mar. 6.*
stoli (inquit Marcus) vngebant oleo multos
infirmos & sanabantur. De orando pro mor- *2. Mach. 12.*
tuis: Sancta ergo & salubris est cogitatio pro
defunctis exorare, vt à peccatis soluantur. De

igne purgatorio: Non exibis inde donec reddas nouissimum quadrantem. Et: non remittetur neque in hoc seculo, neque in futuro.
Luc. 12.
Math. 12.
Quod sancti post mortem cum Christo regnent in cœlis: Ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem. Et: Desiderium habens dissolui & esse cum Christo. De cauenda securitate & certitudine gratiæ Dei: Cum metu & tremore vestram salutem operamini. Et; Nescit homo, vtrum amore an odio dignus sit. De libero arbitrio: Nam qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, & hoc iudicauit in corde suo, seruare virginem suam, bene facit. Quę ipsa scriptura etiam votum cœlibatus & castitatis, vt pium, & quòd præstari ab homine possit, approbat. Sicut & illa; Cum luxuriatæ fuerint, in Christo nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. De eo, quòd ieiunio Deus colatur: Ieiunijs & obsecrationibus seruiens, seu verius colens: Deum videlicet. Græcè enim λατρεύουσα dicitur. His, itemque multis alijs scripturis, & verbo Dei per eas expresso, isti vestri noui Euangelistæ, ex professo contraria docent,
Ephes. 4.
Phil. 1.
Phil. 2.
Eccle. 9.
1. Cor. 7.
1. Tim. 5.
Luc. 2.
Pseudeuangelica dogmata.

dum

dum ſtatuunt non eſſe verè præſens in Eucharistia corpus Chriſti: aut vſu vtentium, ac non verbo Dei id effici: præcepta DEI à nemine in hac vita impleri poſſe: peccata omnia eſſe paria & mortalia: fidem ſolam iuſtificare: Non verè nos per Chriſtum iuſtos fieri, ſed manente peccato, iuſtitiam eius nobis imputari: nullos eſſe debere magiſtratus Eccleſiaſticos; vel nullam eos habere authoritatem præcipiendi & coërcendi inobedientes: impium eſſe ſatisfactionis dogma: Chriſtum nihil præcepiſſe: vel, Euangelij nullam eſſe legem: nulla eſſe merita bonorum operum, ac ne diſcrimen quidem vllum inter bona & mala: Baptiſmum & cætera ſacramenta nuda eſſe ſigna, nec vllam per ea conferri à Deo gratiam: Paruulos ſine baptiſmo ſaluari è Chriſtianis parentibus ortos: Dei opera eſſe non minus peccata noſtra, quàm rectè facta: Confeſſionem, quæ fit Sacerdoti, commentum eſſe hominum: Sacerdotium & ſacrificium apud Chriſtianos nullum eſſe, præter id, quo omnes ſumus ſacerdotes, & regale Sacerdotium: MISSAM (quo nomine appellamus ſacrificium Chriſtianum)

 ido-

idololatriam esse: Extremam unctionem esse figmentum hominum: Pro mortuis orandũ non esse: Purgatorium non esse post hanc vitam: Piorum & sanctorum animas ante extremum iudicium in nescio quibus abditis receptaculis quiescere: Hominem nullum habere liberum arbitrium: Continentiam & castitatem ab homine præstari non posse, stultumq́ue esse votum eius: Impium esse, ieiunium, & quæ sunt eiusdem modi corporis castigationes pro cultibus Dei haberi. Quid aũt hęc recenseo? Quin oĩa ipsorum dogmata, quæcunque aduersus Canones, instituta, receptosq́ue mores Ecclesiæ statuunt, verbo Dei & scripturæ aduersantur. Ea namque, siue adeò author eius Christus, Ecclesiæ authoritatem grauissima pœna sanxit, dicens: Qui
Math. 18. non audierit Ecclesiam, sit tibi tanquam ethnicus & publicanus: Christumq́ue ipsum Dei verbum, ac Deum sperni pronunciat, si quis præsides Ecclesiæ spernat. Adhuc ne igitur dubitas tuos istos Euangelicos cum præsultore suo Luthero falsos esse Prophetas, &, vt
2. Pet. 2. & 3. ait Petrus, magistros mendaces, & illusores, iuxta proprias concupiscentias ambulantes, introducentes sectas perditionis, & à vero Deo doctrinaq́ue eius salutari, Apostolicis & Prophe-

Propheticis scripturis, Ecclesiæq; Catholicæ moribus & institutis comprehensa ad deos alienos, hoc est, vel sua propria, vel iampridem damnata priscorum hæreticorum dogmata amplectenda & colenda populum Dei auertentes? An non hi sunt fructus eorum, à quibus secundum Christi Domini, & famulorum eius, Mosis, & aliorum Prophetarum atq; Apostolorum doctrinam, quamuis vestimentis ouium tecti sint, lupi rapaces, & falsi Prophetæ, luce meridiana clarius cognoscuntur? Quid verò illud, quod cum doctrina eorum inconstans & varia sit, ac secum ipsa pugnet, nonne satis arguit, eam non à veritate & spiritu veritatis, sed à patre mendacij diabolo, qui solet esse spiritus mendax in ore falsorum Prophetarum proficisci? Veritatis enim simplex est & constans, ac sibi ipsa consentiens oratio. Falsum falso, imò ipsum sibi repugnat. AVL. Nescio an quicquam varietatis aut inconstantiæ in scriptis Lutheri & sectatorum eius appareat, quemadmodum tu asseris. Sed ita vos eos fortassis cauillantes interpretamini. MON. Non est nostrum cauillari. Istis hoc peculiare est Pseudeuangelicis cum patre suo diabolo. Vis ne autem videre, vera esse, ac non cauillos hæc,

*Euangelicorũ dissensio in doctrina.*

quæ dico? In eo ſanè ſolo conſentiunt inter ſe, quod ſumma contentione omnes oppugnant doctrinam, inſtituta, & mores Eccleſiæ Catholicæ. Cæterum non dabis mihi duos tractus, nec ſcio an duas ciuitates in Germania, per omnia conſentientes inter ſe de religione ac dogmatibus. Aliter Vitembergæ multa ſeruantur & creduntur, aliter Norimbergæ, aliter Auguſtæ, aliter Argentinæ, aliter Lipſiæ, aliter Tubingæ, aliter Magdeburgi, aliter Vuratiſlauię, aliter in Pruſsia: atq; ibi non vbiq; eodem modo: Et apud Heluetios aliter Geneuæ, aliter Tiguri. Quid dico de ciuitatibus. In vnaqualibet ciuitate, ſecus in hac quàm in illa parœcia: Imò verò in ſingulis domibus diuerſa eſt religio. Quin, quòd maius eſt, in vna domo paterfamilias & inquilinus, pater & filius, ſocer & gener, mat[er] et filia, vxor & maritus, fratreſq; Germani inter ſe diſſentiunt. Ac alius quidem cum Melanchthone ſentit, alius cum Oſiandro, alius cum Illyrico, alius cum Bucero, alius cum Brentio, alius cum Anabaptiſtis, alius cum Memnone, alius cum Suenckfeldio, alius cum Zuinglio vel Oecolampadio, vel Caluino, vel Coruino, vel Bullingero, vel Vrbano Regio, vel Sarcerio. Nam & iſti eorum doctores, cum quilibet

ſuo

ſuo ſenſu de religione ſtatuat, ſcripturamq́ interpretetur, inter ſe, & à Luthero diſſentiunt. Nec profectò aliter ſentio, quàm Deum confudiſſe non tam linguas, quàm ſenſus & mentes eorum, vt ſe inuicem non intelligant: ſicut illi, qui olim turrim Babel ædificare orſi erant: quo non modò prudentes, verumetiã idiotæ & bardi animaduertãt, & quaſi manu contrectent, iſtud eorũ conſiliũ doctrinamq́ ex deo non eſſe, nec deo placere. Neq; verò exiſtimare debes paruas eſſe, ac de eo, quod pueri in faba ſe reperiſſe clamitant, hoc eſt, de rebus parui momenti controuerſias inter eos: Sunt de ipſis capitibus religionis. Multa in Zuinglio & Oecolampadio reprehendit Lutherus, ita vt pro hæreticis eos habeat: nonnulla in confeſsione Auguſtana, à fideliſsimis & conſtantiſsimis olim (nunc enim idem dicere non auſim) diſcipulis ſuis cõſcripta. Argentinenſes quidem & Cõſtantienſes, & nonnullæ aliæ ciuitates ei ſubſcribere initio noluere. Suenckfeldius autem etiam refutationem eius conſcripſiſſe fertur. Lutherum Vrbanus Regius, Bucerus, Caluinus ſæpe notant. Zuinglius etiam crimen hæreſeos vicisſim ipſi impingit. Melanchthonem Flaccius Illyricus, Gallus, Snepfius, & qui cum his ſentiunt, interdum pro nouo

papiſta

papista habent, interdum pro sacramentario, & omnino pro transfuga ab Euangelio Lutheri. Illyricus quidem anathemate eum percussit; gliscitque magnopere inter partes dissidium, Vitembergensibus (nec scio an etiam Vuirtembergēsibus) Melanchthoni adstipulantibus. Documento sunt non solum scripta vtrinque edita, probris & maledictis scatentia, sed etiam discessio siue eiectio pudenda nonnullorum delectorum è colloquio proximo Vuormatiensi, cum vtrique sibi confessionem Augustanam & Lutheri doctrinā vendicarent, alteris autem adimerent. De Lutheranis scribit Oecolampadius: Speciem verbi Dei afferre Lutheranos, verbum dei nō afferre: quod plerumque facere soleant hæretici, omnesque existimari velint, se vti verbo Dei. Caspar aūt Suuenckfeldius Antichristos eos appellat, quemadmodum ipsimet fatentur. Viden' cuiusmodi hic sit consensus? Verum attingam aliquot capita, quo certius perspicias uera esse, quæ dico. Anabaptistę docent: Cū Christus nos liberauerit, nemini nos oportere obedire, neque op⁹ esse magistratibus, principibus, legibus, aut institutis vllis. Idem & Lutherus aliquando sensit, sicut paulò ante audiuisti. At Melanchthon & ... ; confes-

Oecolampad. in Dialog. cōtra Melanch.

Illir. de 30. error. Suuēkfeld.

De Magistra.

Luthe. de potestate secul.

confeſsio Auguſtana peruerſum id eſſe iudicat, ac verbo Dei repugnans. Oſiandrum damnant Vitembergenſes, imò & Flacius, quod impiè doceat, nos eſſentiali iuſtitia Dei iuſtos eſſe, & fieri. Tuetur Brentius cum ſuis Vvirtēbergenſibus, vel in futura vita duntaxat, id verū eſſe affirmans. De corpore Chriſti aliter ſentiunt Lutherus, Melanthon, Brētius: aliter Caluinus, Zvinglius, Oecolampadius. Illi affirmant cōuenienter nobiſcum, in eucharistia eſſe veram carnem & ſanguinē Chriſti, damnant q; diuerſum ſentientes. Tametſi in eo & ipſi diſſentiunt à nobis, quòd cū nos credamus panem & vinum verbo Dei in carnem & ſanguinem Chriſti tranſmutari, illi aſſerunt, fide & vſu vtentium effici, vt hæc ibi adſint, manēte nihilo minus pane & vino. Quanquam Lutherus quoq; cōtra Zuinglianos, & de Euchariſtia ſcribens, & confeſsio Auguſtana anno 1530. edita, admittere videntur tranſmutationem. Hi verò, Sacramētarij nimirum, dictitant, non eſſe in eo Sacramento verè corpus & ſanguinem Chriſti, ſed panem modò & vinū, ſignificantia corpus & ſanguinē Chriſti. Quanquā & hi inter ſe admodū diuerſi ſunt; cumq; aliter ſentiant alij, Caluinus cum ſuis ſectatoribus nouitio commento aſſeuerat tamē verè in euchariſtia, ſiue,

*Melanth. de poteſtate ſecul.*

*De euchariſtiæ Sacramento.*

*Luth. contra articul. Louanienſ.*

*Idem contra Zuingl. & de euchariſtia.*

*Caluin. contra Veſtphal.*

vt ipsi loquuntur, in cœna domini, manducari corpus Christi, & bibi sanguinē eius, quãuis ille cum eo ipso corpore & sanguine suo in cęlis ad dexteram patris sedeat, nec sit in eo Sacramēto. Ad quorũ castra magna pars Lutheranorũ hoc tempore transiuit. Sed mittamus id modò: Ad alia transeamus. Quod ad eucharistiæ perceptionē attinet, nōnē in vniuersum omnes vtriusq; speciei participes fieri contenditis? AVL. Verum: Nec aliter fieri debet, aut potest. Ita nancp docet ac præcipit verbum Dei, mortem nobis interminans, nisi manducauerimus carnem filij hominis, & biberimus sanguinem eius. MON. Et tamen Lutherus in eo libello, cui titulum fecit, de vtraque specie Sacramenti, sic scribit: Quod hominibus vtraque species Sacramēti datur, non reprehendo, neque reijcio, imò possem seruare hanc consuetudinem: Sed tamen de eo nemo sic debet intelligere, quasi ita fieri oporteat. Et: Si veneris ad aliquē locum, vbi populo eucharistia sub vna tantũ specie administratur, sis & tu vnica specie cōtentus. Et ad Bohemos scribens: Pulchrũ quidem esset, vtraq; specie eucharistiæ vti, & Christus nihil hac in re tanquam necessarium præcepit: præstaret pacem & vnitatē, quã Christus

*De communione sub una uel sub utraq; specie.*

*Ioan. 6.*

*Luth. de utraque specie Sacram.*

*Idem ad Bohem.*

vbicp:

vbiq; pręcepit, sectari, quàm de speciebus Sacramenti cõtendere. Audin' quid scribat? Ad hæc in eo libello, quem vocauit declarationẽ eucharistiæ: Non dixi, inquit, neq; consului, neq; est intẽtio mea, vt vnus aut aliquot Episcopi ꝓpria authoritate alicui incipiãt vtrãq; speciem porrigere, nisi ita constitueretur & mandaretur in concilio generali. Bucerus quoque, & Melanthon id ponunt inter adiaphora, & quæ nihil referat hoc vel illo modo seruari, sicut suilla vesci, vel abstinere, inquit ille. Atque adeò scribit alicubi Lutherus, si quo casu concilium statueret, sub vtraque specie communicandum esse laicis, se in despectum eius concilij aut vna, aut neutra, nequaquam autem vtraque potiri velle, & eos, plane anathema habere, quicunque talis concilij authoritate vtranque sumerent. Cœlibatum & continentiæ propositum in ijs qui se addixerunt ministerijs ecclesiasticis, atq; adeò in quibusuis, qui id vltro amplexi sunt, laudant magnopere Picardi, affirmantq; id habere certas promissiones huius vitæ, & futuræ. At Lutherus, Bucerus, Oecolampadius, castissimi scilicet monachi, cum in plerisque eos admirentur, hoc ferre non possunt; Sed, sicut iam audiuisti, stul-

*Idẽ in declar. Eucharistiæ.*

*Bucer. in colloquio Ratisponen.*

*Mel. in locis commu. & in hypotyp.*

*Luth. de formula missæ.*

*De uoto continentiæ ac cœlibatu.*

*Picard. cõfessio.*

tum id, nec Deo gratum esse, cùm verbis, tum exemplo suo asseuerant. Quin istis vestris Euangelicis nemo satis certus firmusq; transfuga aut idoneus Euãgelista habetur, nisi durissimis scilicet coniugij compedibus constringatur. Idem videlicet factitarunt Apostoli. De sacrificio missæ Lutherus scribit in libello, cui nomẽ dedit, capita fidei Christianæ; Summam & horrendam esse idololatriã, ex professo contrariam principali articulo fidei, quamuis inter omnes alios cultus idololatricos Papistarum habita sit pro præcipuo & vtilissimo. Attende autem, quàm consentanea his Augustana confessio proferat: Falsò, inquit, accusantur Ecclesiæ nostræ, quod missam aboleant. Retinetur enim missa apud nos, & summa reuerentia celebratur; Seruantur & vsitatę cæremoniæ ferè omnes, præter quàm quòd latinis cantionibus admiscentur alicubi Germanicæ. Quæ sũt (quęso) istæ Ecclesiæ vestræ? An non eæ, quas Lutherus cõdidit? Igitur aut falsum scripsit ille Propheta vester & Helias, aut vos eius decreto idololatræ estis. In eandem sententiam scribit & Bucerus ad Episcopum Abrincensem: vbi etiam missam appellat sacrificium. Sed libet eius verba recitare: Itaq;, inquit, existit in sa-

*Pseudeuangelistarum compedes.*

*De sacrificio missæ.*

*Luth. in cap. fid. Christianæ.*

*Confess. August.*

*Buc. in resp. ad Abrinc. Episcopum.*

era cœna ſummū ſacrificium, non modò laudum, ſed ipſius Chriſti, ſed & noſtri ipſorum. Eius enim, quo ſe Chriſtus in cruce obtulit, vim & fructum hîc cùm percipimus, tum fratribus pro modo ſacri miniſterij, & arcanæ ſanctorum inter ſe ſocietatis, cõmunicamus: Indeq́ non poſſumus nos non totos domino cõſecrare: idq́ benignis eleemoſynarum largitionibus minimos domini ſtudioſè teſtari. Audin' q́ diuerſa hęc ſint à Lutheri & concionatorum iſtorū veſtrorum ſententia? Nec minor eſt inter eos cõtrouerſia de inuocatione ſanctorum in Chriſto quieſcẽtium. Zvinglius & Melanthon, & Brentius negant eos eſſe inuocandos. Contrà, Oecolampadius & Bucerus id non improbant: quin permittunt etiam: Imò & Lutherus ipſe de pręparatione ad mortem, & contra Taboritas ſcribens. Libet autem Oecolampadij verba ea de re recitare: Sancti in cœlis ſua charitate flagrantes, non deſinunt pro nobis intercedere. Quid igitur mali, ſi hoc petamus, quod credimus Deum velle, etiam ſi nihil tale præceperit? Quid mali, ſi & cõmendemus patrocinia ſanctorum, modò id circũſpectè, opportunè, & modicè fiat pro auditorũ qualitate? Id quod agit Chryſoſtomus, & Nazîãzenus quoq́ in

*De inuocatione ſanctorum.*

*Zuingl. art. 20. Confeſs. Auguſt. Melanth. in apol.*

*Oecol. in annot. Chryſoſt. in Iuuentinū.*

laudibus Cypriani, & obseruant hoc fermè omnes Ecclesiæ tam orientis, quàm occidentis. Si omnes fermè Ecclesiæ tã orientis, quàm occidentis, hoc seruant, quin igitur hæretici & falsi Prophetæ sint, qui diuersum sentiunt? causam Oecolampadi dicere non potes. De Ecclesia Rom. an non scribunt, loquuntur, pingunt, & fingunt passim, eam esse Babylonem, malorum omniũ, & maximè idololatriæ sentinam, &, vt saluo pudore dicam, meretricem illam, de qua scribit Ioannes in Apocalypsi, quæ miscet hominibus vinum furoris Domini? Papam autem esse seductorem, idolum, seruum Sathanæ, Antichristum, hominẽ peccati, filiũ perditionis, abominationem desolationis, quam vidit Daniel propheta stantem in loco sancto, & multa alia probra ac maledicta, quibus pleni sunt eorum libri & parietes. Vide autem quid scribat Bucerus: Ingenuè profitemur, apud ueteris Ecclesię patres Romanam Ecclesiam præ cæteris primatum obtinuisse, vt quæ cathedram d. Petri habeat, cuiusꝗ Episcopi successores Petri ferè semper habiti sint. Et Lutherus: Ecclesiã Romanam præ cæteris Ecclesijs à Deo honoratã fuisse, non est dubium. Et aliquanto post: Quamuis autem iam, heu dolor, Romę peius

*De Rom. Ecclesia.* — *Apo. 16. et 17* — *Bulling. de orig. erroris.* — *Gualterus in Antichrist.* — *Bucer in præparatorijs ad concilium.* — *Luth. in excusat. quorundã artic.*

agatur,

agatur, quàm conueniret, tamē nulla causa tā grauis est, aut erit vnq̃, qua meritò quis se ab illa separare debeat. Imò quanto peius Rom. Ecclesia habet, tanto magis illi & accurrendū & succurrendum fuerit, eiq; magis inhærendū. Nam discessionibus nihil ꝓficies. Adde, quòd Christus ꝓpter diabolum deseri non debeat. A V. Vbi hæc scribit Lutherus? MON. In eo libro, cui titulū fecit, Excusatio quorundā articulorū: quem, vt alia item nōnulla scripta eius, boni isti, & bonæ fidei vindices veritatis discipuli eius, cæteris eius operibus Vitembergę nuper editis, non inseruerunt: E multis autem aliȷs multa arbitratu suo expunxerunt atq; mutarunt. Quod factum aliȷ quidam religiosiores, ex eadem schola progressi, dissimulandū sibi esse nō putant. Sic igitur ibi scripsit Lutherus: & tamen ipsemet horū immemor, plerisq; in oībus ab ea, & à capite & antistite eius papa confidenter sese & alios absq; iusta causa segregat, seq; ipse cum suis in eo condēnat, quòd Christum propter diabolū deserat. Quod & reliqua protestantium turba itidem facit, dum in confessione Augustana profitetur, se nihil docere, aut proferre velle, quod discrepet vel à scripturis, vel ab Ecclesia Catholica, vel ab Ecclesia Romana,

*Lutheri operū editio Vitembergen. qualis sit.*

*Confes. Aug.*

mana,

De Ecclesia. mana, quatenus è scriptoribus nota est. De Ecclesia in vniuersum: Lutherus ait eam esse inuisibilem & spiritualem, & gregem passim dispersum, neq; temporũ continuationi, neq; locorum vniuersitati alligatum, ita vt expungi è symbolo queat nomẽ Catholica. Idẽ sentit Brentius. At Philippus affirmat, esse cœtũ visibilem, & externis insignitam signaculis, cuius authoritas sit infallibilis. Hęreticos capitali supplicio, affici, ait idem Lutherus, cõtra volũtatem Dei esse. Negat Caluinus, idq; & ipse in comburendo Serueto, & Theodorus Beza libro ea de re edito, approbauit. Ioachimus etiã Vvestphalus sceptro Magistratuũ coërcendos esse affirmat: De pœnitentia ac dolore pro peccatis, siue contritione, institutiones Norimbergenses ita præscribunt, quòd parœci primum de pœnitentia concionari, populumq; ad congruentem pœnitentiæ vitam adducere debeant, quemadmodum Christus præcepit, & omnes Prophetæ fecerunt. Ac ne id intelligatur de innouatione vitæ, sicut Lutherus pœnitentiam interpretatur, peruersè detorquens verbũ Dei Math: 3. & 4. paulo post eadem institutio declarat, pœnitentiam esse contritionem cordis, & dolorem ob admissum peccatum, cum vero ge-

Luth. contra Amb. Catharinum.
Brent. in proleg.
Melanth. in locis com. & de iudicio syn.
De puniendis hæreticis.
Luth. in assert.
Vvestf. cõtra mendac. Io. à Lasco.
De pœnitẽtia: Instit. Norim.

mitu

mitu ad remiſsionem peccatorum, veramq́ꝫ vitæ integritatem. Et mox: Parœci debent populo patefacere irã Dei, minaſq́ꝫ & pœnas contra abhorrentes à pœnitentia. Idem ſentit Bernenſis Sacramentariorum ſynodus. Nec diſſentit ab eis Auguſtana Confeſsio: Quæ etiam fidem partem eſſe pœnitentiæ aſſerit: quod Caluinus non malè reprehendit. Vide autem quid ſcribat Lutherus de hac ipſa pœnitentia ac dolore pro peccatis: Contritio maiorem facit hypocritã & peccatorẽ. In articulis aũt à Leone condẽnatis: Cumq́s credit ſe eſſe abſolutum, eſt abſolutus, etiam ſi contritionẽ nõ habeat. Et in aſſertione: Hanc eſſe ſuam opinionem ac doctrinam affirmat, pernicioſam eſſe ſpeciem doctrinæ, docere, quod homines intuitu pœnę & prẹmij cõtritionem ſiue dolorem pro peccatis habere debeant. Ita Lutherus. De peccatis Caluinus & Lutherus, aiunt, omne peccatum per ſe & ſuapte natura eſſe mortale, nullum veniale. Alibi idem Lutherus, ſolam incredulitatem peccatum eſſe aſſeuerat: Melanthon verò facit diſcrimen inter veniale & mortale peccatum. De eo an Deus ſit cauſa peccati, Melanthon in annotationibus ſuper Epiſtolam Pauli ad Rom. primæ editionis ita ſcribit:

*Fides an ſit pars pœnitẽtiæ.*
*Auguſt. conf. art. 11.*
*Caluin. in inſtit.*
*Luth. ſerm. de pœnit.*
*Idem in art. à Leone condem. art. 12.*
*Idem in aſſert. art. 6.*
*De peccatis.*
*Cal. inſtit. cap. 3.*
*Luth. in art. per Pariſ. damnatis.*
*Idem de liber. Chriſtiana.*
*Mel. in cap. 8. Epiſt. ad Rõ. ultima editionis.*
*An Deus ſit cauſa peccati.*
*Idem ſuper Epiſt. ad Ro.*

Certum est, oia à Deo fieri, siue bona, siue mala. Dicimus autem Deum non solum permittere creaturis, vt operentur, sed ipsummet oia propriè operari. Quemadmodum igitur confitemur, vocationem Pauli, fuisse proprium opus Dei, ita & adulteriũ Dauidis, & sæuitia Manlij, atq; etiam proditio Iudæ, proprium opus Dei fuit. Deus enim omnia in omni-

*Art. 36.* bus operatur principaliter & effectiuè. Et Lutherus in assertione: Quomodo potest homo sese ad bonum præparare, cum nec in potestate sit suas vias malas facere? Nam & mala opera in impijs Deus operatur. Quod

*Caluin. in instit. fidei.* quidem Caluinus etiamnum pertinaciter asseuerat, quamuis reprehendatur à discipulo, siue is est Castalio, siue quis alius. Non

*Confess. Aug.* potest autem Deus odisse opus suum. Sed aduersatur his confessio Augustana, & insti-

*Instit. Norim.* tutio Norimbergeñ: quæ excipit peccatũ, asserens id solũ à Deo nõ proficisci. Eadem institutio cum præcipit parœcis, vt populum adhortentur, vt secundum doctrinam Dei

*De libero arbitrio.* viuat, innuit hominem habere liberum arbitrium boni & mali faciendi, & ab eo se absti-

*Buce. ad Epi. Abrinc. & in cap. 9. ad Rõ.* nendi. Apertè autem Bucerus id astruit, Episcopo Abrincensi respondens, & in caput nonũ ad Rom. scribens. Quod quidẽ ex pro-

fesso

fesso cum Lutheri, & Melanchthonis, & Caluini, & Illyrici sententia pugnat: Quēadmodū & illud, quod eadē Norimb. institutio cōcedit, noua lege siue Euangelio præcepta Dei cōtineri. Melanchthō verò scribit: Christum non venisse, vt hominibus legē aliquam ferret. Et alibi: Euangelium nihil præcipit. Idem sentit Lutherus. Tametsi alibi idē Melanchthon omnia præcepta Euangelica mandati vim habere, & hominē libero arbitrio nō carere asserit. De fide iustificante & saluāte Lutherus ita scribit: Fides sola per se ipsa absq; omni opere, sicut hic diuinum verbum sonat, facit nos saluos. Et opera nihil omnino ad iustitiam aut salutem iuuant. In eandē sententiam audiuisti, quæ superius aliunde recitaui, sesquipedalia eius verba. Contrarium scribit Georgius Maior, eoq; nomine dānatur ab Illyrico ac cęteris Lutheranis. Habet autē ad stipulatores Zvingliū & Caluinū, & cæteros Sacramentarios, nisi fallor. Porrò de bonis operibus & meritis eorū Melanchthō ita scribit in locis cōmunib: Sciendū est etiā, præmia ꝓposita esse bonis operibus, seu bona opera mereri præmia corporalia & spiritualia. Etsi autem in hac vita etiam multa præmia sanctis reddunt, tamen quę Ecclesia sub-

*Luth. de capt. bab.*
*Mel. in loc. com. primæ edit.*
*De præceptis noui test.*
*Instit. Norim.*
*Melan. super Ioan.*
*Luth. in præf. in nouum test.*
*Et in epist. ad Galat.*
*Melan. in locis com.*
*Luth. in serm. de ascens. domini.*
*Idem in glosa edicti imper.*
*Georg. in epi. ad Rom. & contra Illyri.*
*Zuing. in epi. Iac.*
*De meritis bonorum operum.*
*Melanch. in locis com.*

iecta est cruci, præcipua præmia redduntur post hāc vitam, sicut Christus inquit: Merces vestra copiosa est in cœlis. Nec diuersum sentit Bucerus, ad Episcopum Abrincensem ita scribens: Non negamus etiam operibus nos iustificari, sicut ait Iacobus: Quia reddit vnicuiq; Deus secundum opera sua. Et rursus: Non auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur. Et paulò inferius: De meritis etiam non est inter nos controuersia: nulli enim ea reijcimus, ne vitæ quidem æternæ. In eandem sententiam & Confessio Augustana, & Georgius maior. Non sic autem Lutherus: qui affirmat, etiam iustum in omni opere bono peccare. Et statim subdit: Bonum opus quantumuis bene operatum, secundum misericordiā Dei veniale peccatum est, secundum autem iudicium Dei mortale. Peccatum autem qualecunq;, cui dubium est, nullum habere bonum meritum, neq; præmium? Et in quodam sermone: Quanto sceleratior es, tanto citius tibi Deus gratiam infundit. Iam magna pars eò tendit, vt se adornet sicut cattus, & postea debeat eos Deus acceptare. Nequaquam. Imò alicubi asseuerat hominem Christianum liberum esse ab omni legis obseruatione, & bonis operibus, quod DEVS hæc

*Buc. ad Epis. Abrinc.*

*Confes. Aug.*

*Georg. Maior de operibus.*

*Luth. in asser. art. 31.*

*Luth. serm. de piscatione Petri.*

*Idem de liber. Christiana.*

hæc ei neq; præceperit, neq; vetuerit. De Eucharistia, ſchola Regiomontana, Brentius, & Confeſsio Vuirtembergenſis affirmãt, & inter vos Aulicos ſunt, qui ita ſentiunt, Quamuis verum ibi ſit corpus Chriſti, non eſſe tamẽ adorandum, neq; vllo honore proſequendũ. Lutherus verò, Caroloſtadius, Bucerus, Oecolampadius, aſſerunt, eſſe eam colendam & adorandam, perinde ac Deum in ſua eſſentia. De baptiſmo inſtitutio Norimbergeñ. docet, per eum nos ab omni poteſtate diaboli, peccati, mortis, & inferni liberari, & fieri filios vitæ, hæredeſq; omnium bonorum Dei. Nec diuerſum ab eo docere videtur confeſsio Auguſtana, & Melanchthon, ſententias patrum ſuper negocio Euchariſtiæ colligens. Lutherus autem dictitat, nullum ſacramentum in nobis gratiam operari: Vbi etiam hæreticum dogma vocat id, q̃d Eccleſia Catholica profitetur: Infundi à Deo gratiam per ſacramenta. Tametſi in aſſertione idem ipſe quoq; aſſeuerat, ita vt ipſe quaſi ſorex indicio ſuo pereat, hæreſeos ſeſe damnans. Alibi etiam dãnat Suermeros, qui ſacramenta pro externis tantum ſignis habent, quibus Chriſtiani ſignentur, quaſi oues creta rubra. In eadem ſententia ſunt Caluinus, Bucerus, Laſcus, & om-

*De adoratione corp. Chriſti.*

*Luth. de ador. ſacram. & in catechiſ. antiquo.*

*Carolſtad. ad Albe. Dureriũ de adoratione ſig. noui. teſta.*

*Bucer. de act. colloquij Ratiſbo.*

*Oecol. de ſac. Euchariſt.*

*De baptiſmi et ceterorum ſacram. uirtute & efficacia.*

*Luth. de capt. Babyl.*

*Idem aſſert. art. 41.*

*Luth. in epiſt. aduerſ. regem Angl.*

*Caluin. in antidoto.*

*Buc. in Math.*

nes Sacramentarij, quòd baptiſmus nudum ſit ſignum, in quo nulla cuiquam gratia infundatur, & quod infantes Chriſtianis parentibus orti, ſine baptiſmo vitam & ſalutem adipiſcantur. De numero autem ſacramentorum quàm variè & inconſtanter loquuntur. Alij namq; ſeptem, alij quatuor, alij tria, alij duo tantum numerant, & ijdem nunc plura, nunc pauciora. Alicubi Lutherus vnicum eſſe vult, ſi iuxta ſcripturam loquendum ſit. Quo verbo non magis alios, quaſi contra ſcripturam loquentes, quàm ſe ipſum condemnat. Ipſemet enim Euchariſtiã quoq; ſiue cœnam domini ferè ſemper, aliquando & pœnitentiam, nonnunquam & confirmationem, & extremam vnctionem & ordinem, & matrimonium, vult eſſe ſacramenta à CHRISTO vel Apoſtolis inſtituta, & in Eccleſia antiquitus vſitata. Amiculus quidem eius Philippus, cum initio duo fixiſſet, adiecit poſtea & ipſe pœnitentiã, deinde & ordinem. Quod ſi recudet adhuc locos ſuos, reſtituet (ſpero) nobis et reliqua tria. Mitto multa alia, in quibus illi inter ſe diuerſum, atq; adeò contrarium ſentiunt, ne ſim lõgior. Ex his enim quę recẽſui, ſatis cernere eſt, quæ ſit inter eos conſenſio. Nec ſanè omnia

*De numero ſacramentorũ.*

*Luth. de capt. Babyl.*

*Ibid. et in uiſi. De poteſtate papæ. De præpar. ad mortem. In ſerm. de matrimon.*

*Phil. in ult. editione locorum com.*

eorum

eorum ſcripta legere potui, nec oĩa, quę legi, memoria tenere poſſum. AVL. imò Equidem miror, tam multa te ex ipſis memoriter recitare potuiſſe. MON. Crebris veſtrorum inſectationibus adactus, hæc vndecunq; potui collegi, vt in promptu haberem, quo vos retunderem. Sed ad rem redeamus. Non ſolum autem alius ab alio diſſentit, verumetiam vnuſquiſq; ſecum ipſe pugnat, ſicut iam cœpi dicere. An verò ſemel Melanchthon locos ſuos communes, & commentarios in Epiſtolam ad Romanos mutauit? Confer autem ea ſcripta inter ipſa, confer & id, quod nuper de Interim, ac de adiaphoris ſcripſit, deprehendes manifeſtè, quàm ſint inter ſe diuerſa & pugnantia: Et quidem de maximis rebus: velut de fato & libero hominis arbitrio: de iuſtificatione & iuſtitia noſtra: de fide: de peccatorum paritate & imparitate: de diſpoſitione ſeu præparatione ad gratiam: de numero, vſu, & virtute ſacramentorum: de Eccleſia Chriſti: de authoritate, & iuriſdictione Eccleſiaſtica: de ritibus et Cęremonijs: de meritis & neceſsitate bonorum operũ ad ſalutem: De peccato etiã audiuiſti modò quàm variè ſcribit. Quid confeſsio Auguſtana, qua nihil [illegible] ſanctius

*Haeretici ſecũ ipſi ſinguli pugnant.*

*Melanchthonis inconſtantia.*

*Auguſtanæ cõfeſsionis authoritas.*

ſanctius eſſe debuit (quandoquidem iuratur in eam in ſchola Vvitēbergenſi, vel Oſiãdro teſte) an non diuerſa nunc eſt ab ea, quæ Cæſari exhibita fuit initio? Bucerus aliquando cum Sacramentarijs cōtra Lutherū, aliquando cum Luthero cōtra ipſos vna eademq́ꝫ de re ſentit. Quàm variant autem Sacramentarij in quatuor illis Chriſti verbis (Hoc eſt corpus meum) exponendis? Attēde autē, quęſo, quid is, qui hanc ipſam ſectam cum Zvinglio potiſsimum propagauit, Oecolampadius, in quã, ſcripſerit de hoc ipſo Sacramento: Quocirca, inquit, ſimpliciter & abſq́ꝫ hæſitatione credamus adeſſe & cōtineri ſub hoc pane verum corpus, ſub vino autem ſanguinem. Sufficiat nobis tantillum notitię, quantum ex ſacris literis haurimus. Alioqui in miniſterium fidei intellectus noſter mancipetur. Quomodo is, qui ad dexterã patris reſidet ſuper cœlos, ſit & in altarijs verè præſens, quia nobis impoſsibile cognitu, ne turbemur, ne ſimus fruſtra anxij. Tenet omnipotens ſedem maieſtatis ſuæ in cęlis, & hic myſterijs & fidei noſtræ non deeſt. Et vultus mei lineamenta à me non tranſeunt, integra tamen & in multis relucent ſpeculis. Qua ratione Baſilius myſterium hoc ἀντίτυπον, hoc eſt, exēplar ſcitè vocat.

*Eucharistiam verè continere corpus Christi.*

*Oecolamp. de Sacramento Eucharistiæ.*

cat. Cæterum panis viniq; ſubſtantia an eſſe deſinat (per ſe ſubſiſtentibus accidentibus vel per quantitatem) an in corpus Chriſti tranſeat & conuertatur, an Chriſtum ita contineat, vt ſimul adhuc quod videtur eſſe, ſit, diciq; debeat panis, nihil ad nos, de eo litigent ocioſæ ſcholæ. Quod ſi ignoramus quomodo in carnem Chriſti panis hic conuertatur, cum nō capimus quomodo panis cōmunis, quem domi ſolemus edere, tranſeat in carnem noſtrā? Quid ſi obtuſiores ſenſus noſtri, & ſtupent, ſi negetur aboleri ſubſtantia, nec detur accidentibus abſq; corpore locus & ſubſiſtētia, ſed manente panis ſubſtantia dicatur verè adeſſe corpus Chriſti? Quid, inquam, mirum? ſiquidē & ignoramus, quomodo ſaluis virginalibus clauſtris editus ſit puellus Chriſtus. Aut quomodo obſeratis ianuis cum reſurrexiſſet, ad diſcipulos ſit ingreſſus. Nihil, inquam, ad nos, vtut hæc fieri poſsint. De ſacramentis rogaſſe per incredulitatem, quomodo fieri poſsint, quàm dura reſponſa mereatur, ſatis nos admonent exempla Nicodemi, non capientis regenerationis myſterium, & Iudæorum corrixantium, quomodo hic nobis poteſt dare carnem ſuam ad veſcendū. Nobis angelus ſatisfaciat, qui ſciſci-

tanti Mariæ ait: Spiritus ſanctus superueniet in te, & virtus altiſsimi obũbrabit tibi. Nam & hic conſtant omnia efficacia virtutis Dei, qui dixit, & facta ſunt, qui, & quæcũq; voluit, fecit tam in cœlo quàm in terra. Ne ſit ergo locus curioſitati. Eſto enim panis vinumq́; ſit maximè, nos hic nihil minus, quàm panem & vinum quærimus. Non hic petimus, quod alat & paſcat corpus, ſed quod reficiat & ſaginet animam. Non hic curæ nobis viſibilia, ſed inuiſibilia. Quod adoramus, quod eſurimus, quod oculis mentis & fide ſpectamus, non minus videt Homerus quiſpiam oculis captus, quàm Lynceus. Inſipientum fuerit hinc inde ab ara ad aram diſcurſare & tumultuari. Panis ille poſt conſecrationem ſiue ſit, ſiue non ſit triticeus, nobis certè non eſt triticeus, ſed cœleſtis: ſiue fermentatus ſit, ſiue infermentatus, nobis certè ἄζυμον paſcha eſt Chriſtus. Prætерimus hic omne quod altario miniſter intulit, & in eo ſolo moramur & hæremus, quod cœlitus adeſt, & ſpiritus ſanctus benedixit & ſanctificauit. Qualiſcunq; eſt, nobis duntaxat figuræ & ſigni vices gerẽs, verũ Chriſti præſentis corpus velamine quodam obtegit. Non dico figuram, & typum tantum, vt manipulũ primitiarũ Abel, vt ob-

vt oblationem Melchisedek, vt agnū paschalem, manna, panes propositionis, subcinericiū Heliȩ, & cȩteras veteris testamēti figuras. Absit id blasphemiæ, vt tantū tribuamus vmbræ, quantum luci & veritati, & figuris illis, quantum huic sacrosancto mysterio. Panis enim hic nobis nō tantum signat, sed est corpus ipsum dñi. Habemus in hoc fidē Christo veritati primariȩ, quæ fallere nequit, & dixit, Accipite & mādicate, hoc est.n.corpus meū. Carnē itaq; & sanguinē Christi adesse & cōtineri simpliciter fatemur, quo pacto aūt, non exploramus: siquidē nec necessariū, nec vtile. Non cuiuis Ozæ prophanis manibus arcā attingere, neq; qbusuis propius fumigabundū montē accedere datum &c. AVL. Hæc ne scribit Oecolampadius? MON. Id quidem dubiū non est. AVL. Mirum est. Sed perge. MON. Quid ego hic enumerem non modò varias ac diuersas inter se, verūetiā cōtrarias Vitebergensiū de iustificatione opiniones? Notauit Andreas Osiander: annotarunt & alij, eas esse plures q̃ quatuordecim. Conscripsit etiā Eckius librū contra institutionē Norimbergeñ: vbi multa profert, in quibus ea non modo cū Luthero & Melanchthone, verum etiam secum ipsa pugnat. Libet hic scitum quiddam *Lutheri incōstantia.*

referre, quod in Germania nuper accidisse audiui. Cum princeps quidam pulsis, contra leges publicas, quibus condendis ipse quoq; affuerat, sacerdotibus, direptisq; atq; euersis etiam alicubi templis, rationem cultus, quemadmodum ipsi videbatur, diuini peculiarem instituisset, & ad eam seruandam ministros Ecclesiarum iureiurando adigeret, potestatem tamen addendi, minuendi, & mutandi sibi reseruaret, fertur quispiam ex ijs detrectasse iusiurandum, nisi ij, qui scriptum illud edidissent, priores iurarent, se id mutaturos non esse. Videtur ne tibi temeraria & impudens istorum leuitas & inconstantia scitè satis esse redarguta? Vis etiam de alio quodã eiusdem factionis principe quiddam audire? Vult is videri vnà cum mirificis doctoribus siue seductoribus suis perinde ac horrendam idololatriam abominari sacrificium Missæ, cùm omne aliud, tum vel maximè id, quod pro mortuis offertur, & tamen patitur id peragi quodã in loco ditionis suæ, atq; adeò aspectui propemodum quotidiano subiecto. Hæc ne est constantia doctrinæ? aut videtur ne is verè & ex animo agere id quod agit, & pro Euangelio ac verbo Dei ducere eam doctrinam, quam scriptis etiam editis

tuetur,

tuetur, pœnarumq; diritate sancit, & concionatores siue concitatores eius profitentur? Sed mittamus turbam. Ipsum gregis ducem Lutherum excutiamus. Scribit is in libro de abroganda missa: quod quicquid citra scripturæ authoritatem fit, id manifestum sit, ab ipso Sathana profectum esse. Et mox: Quod sine verbo Dei ordinatur, non ab Ecclesia, sed à synagoga Sathanæ sub nomine Ecclesiæ ordinatur. Ipsemet autem contra Anabaptistas baptismum paruulorum, quem illi tollunt, eò quòd nulla mentio de eo fit in sacra scriptura, moribus tantum & institutis Ecclesiæ defendit. Itidem Melanchthon, & institutio Norimbergeñ. De Concilijs idem Lutherus scribit: Si diutius steterit mundus, iterum erit necessarium, vt propter diuersas scripturæ interpretationes, quæ nunc sunt, ad conseruandam fidei vnitatem conciliorũ decreta recipiamus, atq; ad ea confugiamns. In quodam autem sermone: Hoc, inquit, Euangelium subuertit funditus & radicitus papatum, & omnia Concilia: Quia non tenemur seruare, quod papa præcipit, & homines constituunt. De inuocatione sanctorum, qui hinc decesserunt, ita scribit in capitib. fidei Christianæ: Inuocatio sanctorum, abusus est Antichristi,

*De authoritate scripturæ.* *Luth. de abrog. missa.*

*De conciliorũ authoritate.* *Luth. contra Zuinglium & Oecolampad.*

*Idem in serm. Attendite à falsis prophe.*

*De inuocatione sanctorum.* *Luth. in cap. fidei Christia.*

tichristi, contrarius præcipuo articulo fidei, & obscurat cognitionem Christi. Alibi verò, vbi purgat se de quibusdam, quæ ipsi impingebantur, scribit: De intercessione sanctorum cum vniuersa Ecclesia Christi se tenere & sentire, sanctos à nobis esse venerandos & inuocandos. Quis enim, inquit, potest contradicere ijs, quę in hanc diem miraculosè & manifestè fiunt apud reliquias & sepulchra sanctorum? Nec diuersum sentit in decem præcepta scribens. In eo verò libello, quem scripsit de prępparatione ad mortem: In necessitate mortis non debet homo cessare Mariã, Angelos, Apostolos, & alios sanctos, quos coluit, inuocare, vt ij pro se deum orent. Nec aliter sentiunt Bucerus & Brentius, & Bohemi Hussitæ. Item Lutherus ad Louanienses ita scribit: Nunquam negaui, nos meritis et precibus sanctorum, quamuis valde imperfectis, adiuuari. Audiuisti autem paulò ante eum dicere, quod neque ipse sibi quisquam aliquid mereri possit. De votis sacerdotũ, et monachorum, scribit idem in serm. de Epiphania, ea liberè sine peccato et conscientia posse ac debere omitti, vel irrita fieri. Et alibi: Cœlibatum & virginitatem nugas esse, & mera Sathanæ mendacia. In decalogo

*In declar. quorundã art.*

*Idem in decem præcept.*

*Idem de præparat. ad mor.*

*Idem ad Louaniẽ.*

*De uotis Monachorum & sacerdotum.*

*Luth. serm. de Ephiphania.*

*Idem de uotis.*

*Idem in decal.*

logo autem ait: Sacrilegium esse, vbi iam non tantum castitas polluitur, sed etiam quæ deo soli fuit oblata, tollitur, & sanctum prophanatur. De Missa audiuisti quàm probrosè loquatur: Nec scio an etiam impudentius alibi. Perlege autem quod scribit de captiuitate Babylonica, vbi ait: Missam esse partem Euangelij, imò summam & compendium Euangelij, ita, vt sermones quoq; vulgares nihil aliud esse debeant, quàm expositiones Missæ, hoc est, illustrationes promissionis diuinæ huius testamenti. Hoc, inquit, erat fidem docere, & verè Ecclesiam ædificare. Et in formula Missæ: Nam hoc negare non possumus, Missas & Canonem panis & vini, ritum esse à CHRISTO diuinitus institutum. Et in resolutionib. Plus prodest Missa, si per Sacerdotem vni applicetur, quàm si sine applicatiõe pro omnibus celebretur. Alibi verò contrà, applicationem huiusmodi abusum esse asserit. Laudat eam etiam in sermone de nouo testamento, seu de Missa priuata. De communione corporis Christi sub vna vel sub vtraq; specie iam prius audiuisti. De pœnitentia quoque audiuisti quid sentiat. Attende autem quid

*De Missa & applicatione eius.*

*Idem serm. fe. 2. post inuocauit, & contra Zuingl. & Oecolam. li. 2*

*Idem de capt. Babyl. cap. de Eucharistia.*

*Idem in formula missæ.*

*Idem in resol. concl. 26.*

*Idem de missa priuata.*

*De pœnitentia & satisfactione pro peccat.*

Idem in visit. Saxon. quid ſcribat in viſitatione Saxonica: Multi nunc loquuntur de ſola remiſsione peccatorum, de pœnitentia verò parum vel nihil. Tametſi ſine pœnitentia nulla fit remiſsio peccatorum, neq; poteſt intelligi remiſsio peccatorum ſine pœnitentia. Quod ſi quis aliter exiſtimet (ait) eum eſſe errorem ſupra omnes errores. Atq; vt intelligas de qua pœnitentia hæc dicat, explicat in reſolutionibus ſcribēs:

Idem in resolut. concl. 1. Quod dominus & magiſter noſter Ieſus Chriſtus voluit, vt tota vita fidelium eſſet pœnitentia. Nec ſolum de interiore hoc intelligi voluit: Imò interior nihil eſt, niſi exterior varias carnis mortificationes operetur. Vnde ſequitur, vt illæ tres partes ſatisfactionis, ieiunium, oratio, eleemoſyna, ſint partes pœnitentiæ Euangelicæ. Complectitur autem ieiunium omnes caſtigationes corporis: oratio omnes exercitationes animæ, meditando, legendo, audiendo, orando: Eleemoſyna omne obſequium erga proximum, vt ita per ieiunium ſibi ipſi ſeruiat, per orationem Deo, per eleemoſynam autem proximo: vt per primū vincat cōcupiſcentiam carnis, ſobrieq; & caſtè viuat: per ſecundum ſuperbiam vitæ, viuatq; in timore Dei: per tertiū concupiſcentiam oculorum, & iuſtè viuat in hoc ſeculo.

Laudat

Laudat idem vetustißima concilia, quòd rectè statuerunt modum pœnitendi & satisfaciendi pro peccatis: itemq́ue sanctam matrem Ecclesiam, quòd pio affectu manum domini præuentura castigat filios suos satisfactionibus quibusdã, ne incurrant in flagella Dei. At alibi ipse omnem satisfactionem tollit, impium esse dogma asserens. Quod Philippus quoq́ue facit. De Romana Ecclesia dudum audiuisti, quomodo doceat idem in declaratione quorundam articulorum. Attendistiné autem, quàm fuerit eorum immemor in cap. fidei Christianę, & in captiuitate Babilonica, quę iam superius recensui? De Papa & authoritate eius, & Ecclesiastica omnino nemo potuit contumeliosius scribere, quàm scripsit Lutherus multis in locis. Inspice autem quid scribat in resolutione ad Leonem Papam: Beatißime pater, prostratũ me pedibus tuę beatitudinis offero, cũ omnibus quæ sum & habeo: Viuifica, occide, voca, reuoca, approba, reproba, vt placuerit. Vocem tuam vocem Christi in te præsidentis & loquentis agnoscam. Et in eodem libro: Manifestũ est, quòd ad remißionem pœnarum & casuũ sola sufficit potestas Papæ. Quando ergo sacerdotali offitio excommunicat, absoluit, ordinat, de-

*Idem in assert.*

*Melanth. in apol. confeß.*

*De Romana Ecclesia. Luth. in declar. quor. articul.*

*Idem in cap. fidei. Christ. Idem in capt. Babilo.*

*De Papæ authoritate & Ecclesiã potestate. Luth. in resolut.*

*Ibidem conclus. 61.*

ordinat, statuit, abrogat, præcipit, prohibet, dispensat, mutat, interpretatur, in his omnibus agit virtute istius verbi: Quodcunq; solueris &c. Sed hæc eadem fide, qua multa alia, Vitembergensis editio resecuit. Non item illa, quæ sequuntur: Conclusione 69. Authoritati papali in omnibus cum reuerentia cedendum est. Qui enim potestati resistit, resistit Dei ordinationi. Qui autem Deo resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Et dominus ipse: Qui vos spernit, me spernit. Igitur licet in rebus exiguis, nihilò tamen minus quàm in magnis, authoritati cedendum. Hinc illud etiam venit, quod etsi Papa ferret iniustas sententias, timendæ tamē sunt. Et cōclus. 71. quod rursus resectum est: Qui contra veritatem Apostolicarū veniarum loquitur, sit ille anathema & maledictus: Quia etsi res parua sit veniarum largitio, tamen contra potestatem superbè agit, qui contradixerit. Ideo meritò maledicetur. Ecce & de indulgentijs habes, quid aliquando senserit. Item conclus. 86. Non est nostrum, inquit, iudicare voluntatem Papæ, sed tantummodo ferre, etiam si quando fuerit iniquissima. In decalogum autem scribens, & in sermone de excommunicatione docet, magnum honorem habendū esse

*Ibidem conclus. 69.*

*De indulgentijs.*

*Ibidem conclus. 71.*

*Ibid. con. 86.*

*Idem in decalogo.*

magistra-

magiſtratibus Eccleſiaſticis, etiã ſi mali ac tyranni ſint, ſicut & Chriſtus Annæ & Caiphæ honorẽ habuit, propterea quod Eccleſiaſtica ſit poteſtas Chriſti. Et ob id ne nefandiſsimis quidẽ actionibus eorum cõmoueri nos oportere, quin alacriter ſuſcipiamus, aut certe reuerenter excuſemus, quæ ij faciũt. Quia tẽpus noſtrũ valde periculoſum eſt: Propterea prudenter nos agere oportere, ne propter perſonas poteſtatem quoq; vilipendamus: imò propter poteſtatem ſiue magiſtratum vt viliſsimis etiam perſonis honorem habeamus. Vides, quid hic in genere de magiſtratibus Eccleſiaſticis ſcribat. Non ignoras autem quid alibi ſcribat, & audiuiſti à me ſuperius, quæ ſcripſit contra ſtatum Eccleſiaſticum. A V L. Sed hæc initio ſcripſit prius quàm probè veritatem agnouiſſet. M O N. Vis ne autem noſſe, quid longe poſt contra Anabaptiſtas ſcripſerit de papatu? A V L. Cupio. M O N. Nos fatemur ſub papatu plurimum eſſe boni Chriſtiani, imò omne bonum Chriſtianũ, atq; etiam illinc ad nos deueniſſe. Quippe fatemur, in papatu verã eſſe ſcripturam ſacram, verum baptiſmum, verum Sacramentũ altaris, veras claues ad remiſsionẽ peccatorũ, verũ prædicandi officiũ,

*De magiſtrat. Eccleſiaſtick. Idem ſerm. de excõmunicat.*

*Luth. in epiſt. ad duos plebanos de anabaptiſmo.*

verum catechiſmum, vt ſunt oratio Dominica, decem præcepta, articuli fidei: Dico inſuper, ſub papatu veram Chriſtianitatem, imò verum nucleum Chriſtianitatis eſſe. Hæc ſanè poſterius ſcripſit. A V L. Credam ne ita Lutherum ſcripſiſſe? M O N. Non eſt dubium. A V L. Tam longè hæc diuerſa ſunt ab ijs, quæ nobis doctores noſtri dictitant & oſtentant, quàm dies à nocte. M O N. Vis ne etiam de purgatorio Lutheri varietatem & inconſtantiam videre? A V L. An de eo quoq; variè & inconſtanter ſcripſit? M O N. Audi: In libello capitũ fidei Chriſtianæ ſcribit: Purgatorium pro dæmonum illuſione habendum eſſe, propterea quòd aduerſetur primò articulo fidei. In diſputatiõe verò Lipſica: Ego qui credo fortiter, imò auſim dicere, ſcio, purgatorium eſſe, facilè perſuadeor in ſcripturis de eo fieri mentionem: Quemadmodum illud Mathæi inducit Gregorius in Dialogis: Non remittentur, neq; in hoc ſeculo, neq; in futuro: volens peccata quædam remitti in purgatorio. Admitto & illud 2. Machab. 12. Sancta eſt et ſalubris cogitatio ꝓ defunctis exorare. Item in declaratione quorundam articulorum: Purgatorium eſſe credendum eſt firmiter, & ego certò ſcio, quòd

*De purgator.*

*Luth. in cap. fid. Chriſtian.*

*Idem in diſpu. Lipſica.*

*Math. 12.*

*Idem in declar. quorund. articul.*

miſeræ

miseræ animæ ineffabiles in illo patiuntur pœnas, & quòd tenemur & debemus illis subuenire, orando, ieiunando, eleemosynas dando, & aliis quibus possumus modis. Itemq; in resolutione. Mihi certissimum est, ait, purgatorium esse. Nec multum me mouet, quid blaterent hæretici, quando iam mille & plus cẽtum anni sunt, quod beatus Augustinus in suarum confessionum libro nono pro matre & patre suo orat, & orandum petit; Et eadem sancta mater eius moriens, vt ibi scribit, memoriam sui optauerit ad Altare Domini? Sed & à beato Ambrosio id factum narrat, Quod si etiam tempore Apostolorum non fuisset Purgatorium, vt superbit fastidiosus Picardus; nunquid ideo credendum est hæretico, vix quinquaginta annos nuper nato, & fidem tot seculorũ falsam fuisse contendendum? maximè cum ipse nihil aliud faciat, quàm quod dicit: Non credo: & sic probauit omnia sua, & improbauit omnia nostra, quasi non & lignum & lapis nõ credant. Hæc sunt verba Lutheri, quibus ipse se condẽnauit. Idem enim in eo deprehendas, quod ipse in Picardis reprehendit. Vellem autem, vt ea diligenter mandares memoriæ; præsertim ea, quibus affirmat, Non habendũ

*In resolut. concl. 15.*

 esse

esse pro falso dogma tot seculorum, propter verba & contentionem hominis non ita pridem exorti, & qui noui quippiam doceat contra recepta instituta, mores, & leges Ecclesiæ Catholicæ. Nec est quod dicas ab initio sic eum sensisse, postea verò correxisse. Nam & in capit. fidei Christianæ 1544. paulò ante mortem editis, affirmat; rectè orari pro mortuis. Quod ne Zuinglius quidem damnat. Esset autem ridiculum & vanum orare pro ijs, quos iuuari precibus tuis non posse certò scias: Quod quidem de damnatis iuxta ac de beatis dubium non est. Possem plura proferre, in quibus cùm Lutherus & Melanchthon, tum cæteri isti pseudeuangelici doctores, non modò inter se alius ab alio dissentiunt, verum etiam singuli variant, & ipsi secum pugnant de rebus grauibus. Sed hæc nunc sufficiant: è quib⁹ luce meridiana clarius apparet, doctrinam eorum nõ à Deo esse, qui non est dissensionis Deus, sed pacis: sed ab eo, qui ab initio in veritate nõ stetit, & sicut tunc recens adhuc cœlum mendacio dissidioq; turbauit, sic & orbem terrarum in hunc vsq; diem turbare non desinit. Huius igitur, ac non Dei prophetæ sunt isti, eiusq; voluntatem & faciunt ip-

Zuing. in art. 60.

1. Cor. 14.

Ioan. 8.



unt ip-

unt ipsi sedulò, & quibus possunt, pro Dei voluntate inculcant. AVL. Quid? Possem ego vicissim ex te quærere, an non nos quoque Catholici, dum contraria illis docemus, scripturis pleraque omnia confirmamus, & diuturniorem certè, legitimamque scripturæ possessionem atque præscriptionem habemus? Cur igitur non potius nobis, seu verius scripturis ijs, quæ à nobis proferuntur, creditur? sed mitto hoc: Illud potius quæro: An non è scripturis & verbo Dei docent oïa? MO. An non ipse quoque Sathanas nõ raro se transfigurat in angelum lucis? An non ita seduxit primos progenitores nostros? cum diceret, scit enim Deus. An non ita ipsum dei filium Dominum & Magistrum nostrum in deserto adortus est: Scriptum est (inquiens) & verba scripturæ sacræ proferens? Quid igitur mirum, si ministri quoque eius pseudapostoli, pseudeuangelistæ, & pseudoprophetæ, operarij subdoli, transfigurantur velut ministri iustitiæ? & specioso prætextu lucis Euangelici & verbi Dei, quasi ouillis vestimentis contecti, Corpus Christi, Ecclesiam, luporum in morem diripere, & à capite suo diuellere satagunt, vt mactent & perdant?

2. Cor. 11.

Quot-

Quotquot extiterunt hereses iam inde ab initio nascentis religionis Christianæ ad hoc vsq; tempus, paucissimas ex ijs reperias, quæ nõ scriptura sacra, Euangelio, verboq; Dei niti sibi visæ sint. Verum enimuerò quando tantopere scripturarum verbis isti nituntur, cur non castrant semetipsos propter regnum cęlorum? Aut cur si quis percutiatur in vnam maxillam, non præbet alteram? Aut cur pedem vel manum ipse sibi non abscindit, vel oculum nõ eruit, quando ipsum scandalizat? Cur hic verbum Dei non amplectuntur? A V. Non ita ista accipienda sunt, vt verba sonant. MON. At in hoc ipso fallunt & falluntur omnes hæretici, non quòd scriptura sacra destituantur, sed quòd eam peruersè intelligant & interpretentur, & non quem spiritus S. author scripturæ dictauit, sed quem ipsi de suo afferunt, sensum eius, verbi Dei nomine appellent. Testem eius rei habemus Augustinum scribentem, quòd omnes hæretici ex eisdem scripturis falsas atq; fallaces opiniones suas conentur defendere. Nec ab hoc diuersum est, quod scribit in libro de genesi ad literam. Nec secus Hilarius. Videntur enim, inquit, sibi de singulis, quæ asserũt præstare rationem, quia singulis assertionibus suis quæ-

Matth. 4.
Matth. 19.
Matth. 5.
Matth 18.
Hæretici errant in sensu scripturæ.
Aug. de Trin. lib. 1. cap. 3.
Idem de genesi ad literam lib. 7. cap. 4.
Hil. de Trini. lib. 4.

dam

dam ex diuinis voluminibus testimonia subdiderunt, quæ corrupto intelligentiæ sensu solis tantum ignorantibus blandiantur, spem veritatis secundum prauitatem interpretantium præstatura. Vetus est prouerbium: Sacram scripturam cereum habere nasum, quem suo quisque arbitratu possit inflectere, ita vt nõ modo diuersa, verũetiam pugnantia dogmata per eam statui defendique à contentiosis & hæreticis soleant. Nec est quod ambigas: Perinde scripturæ authoritate nixus est Arrius ac Sabellius, quamuis pugnantes inter se haberent opiniones: Perinde Pelagius ac Manichæus: perinde Eutyches ac Nestori⁹. Quin etiam nunc non minus scriptura sese tuentur Anabaptistæ, quam Lutherani, aut Sacramentarij. Et in qualibet autem secta, qui inter se aliquo de dogmate dissentiunt, quilibet ex ijs sententiæ suæ scripturam authorem citat, & verbo Dei expresso niti se asseuerat. An enim hoc non faciunt Osiander æquè ac Vitembergenses de iustificatione, ijdemque iuxta ac Illyricus & Gallus, de libero arbitrio, ac de multis alijs dissentientes? An non Caluinus iuxta ac Vestfalus? Stancarus æquè ac idem Osiander? Imò verò ipse Lutherus, quoties mutat sententiam, & contrarium aliquid ei,

*Scripturis diuersa & contraria dogmata probantur.*

P quod

quod prius docuit, docet, non minus hoc, atque illud prius, scriptura confirmat, & pro verbo Dei vult haberi. Ad eundem modũ Bucerus, Melanchton, Brentius, & cęteri pseudeuangelici. Vtris igitur scripturis magis credes? Iis ne, quas hic, an quas ille ꝓ se ꝓfert? & cum vtriusque te addixeris, ijs ne quas is heri, an quas hodie produxit? An forte vtrisque, alteris hodie, cras alteris? An vero neutris, atque adeo nullis? sed vt quicque tibi in mentem venerit, quamdiu libebit, iam hoc, iam aliud sequeris? itemque alter, tertius, decimus, & quilibet? Quid igitur inde consequetur? Plures erunt in mundo religiones seu verius opiniones de religione, quam homines. Religio vero nulla certa erit? Quod quidē & Christus ipse prædixit, inquiens: Cum venerit filius hominis, putas inueniet fidem in terra? Et animaduerte obsecro, qualis iste sit astus & cura diaboli, dei salutisque humanę inimici. Principio ex professo per Iudęos, & paganos persecutionibus atque cędibus Christianorũ conatus est delere Christianã religionem. Vbi hoc non successit, largitionib⁹, honoribus, & voluptatibus corporis auocare eos, q Christo noīa dederant, cępit. Cum autē hic quoque nō modo à viris & prouectis, verũ etiam à muliebri sexu & à pueris ars eius elu-

*Diaboli astus in euertendo Christianismo.*

dere-

deretur; orsus est per hęreticos varios errores, verbi Dei prætextu, inter Christianos serere. Quibus licet multos, omniũ ordinũ, nationũ, seculorũq; hoĩes seduxerit, & quasi paleas à tritico segregarit, nauicula tamẽ Ecclesię catholicę inter eos, quasi int. scyllã & charibdim semper euasit, neq; in hanc, neq; in illã partẽ declinãs. Ecce aũt nũc ad extremũ tales artifices veterator ille cõcitauit, qui iam sic, iam aliter docendo, & omnia tamen prætextu verbi Dei confirmando, maiestatẽ & fidem eius ipsius verbi dei in animis hominum labefactarent: quẽadmodũ cum quis arborem vel stipitem firmiter terræ infixum vno impetu conuellere aut eruere nõ potest, leniter huc & illuc agitando sensim labefactat, ac sic demũ nullo negocio emouet. Nec sanè desunt, q nõ obscure prę se ferũt, malle se nihil credere, quàm nunc hoc, nunc aliud; cum ij, qui pugnantia docent, ex æquo ea verbo Dei confirmare videantur. Verum *Matth. 16.* hic quoq; exerit sese mirifice potentia Dei, qui nunquam passus est portas inferorum aduersus Ecclesiã suam pręualere, sed semper Satanã ipsiusmet armis dolisq; superat. Nam vt nihil *Hereticorum* esset aliud, certè dissidijs istis varijsq; & pu- *dissidium in-* gnantibus dogmatibus ipsum sese malum de- *teritum eorũ* pascitur & euertit. Quemadmodum & Ozeas *accelerat.*

P 2 Prophe-

Ozee 10. Propheta memorat: Diuisum, inquiens, est
Luth. in 5 Psa. cor eorum, nunc interibunt. Ipse quoque Lutherus ait: Nullos vnquam hæreticos vi aut astu victos esse, sed mutua dissensione: nec aliter cum eis pugnare Christum, quàm misso, inter eos spiritu vertiginis & dissensionis: sicut inter Sichemitas Iudicum 9. inter Babilonicæ turris operarios: Et in nouo testamento inter Arianos, Donatistas, & Pelagianos. Ita Lutherus, vtinam tam uerè omnia. An autem obsecro non est diuisum cor istorum, quando alius quidē sic, alius verò aliter, atque adeò vnus & idem iam sic, iam aliter docet, cōtrariaque & pugnantia inter se dogmata scripturarum testimonijs & authoritate confir-
Epilogus. mant? Non igitur diuina aut Euangelica est ista doctrina, sed diabolica, falsa, impia, pestilens, & cuilibet Christiano velis, quod aiunt, remisque fugienda, cum neque vllis miraculis, verisue futurorum prædictionibus diuinitus comprobetur, & maledictis, mendacijs, calūnijs, summaque ordinis politici & Ecclesiastici, atque adeo naturæ ipsius confusione redundans, à vera quidem & rectā maiorū nostrorū religione & pietate, innumerabilibus miraculis, totque seculorum & populorum consensu cōfirmata, auertere, & ab vniuersę Christi Eccle-

sti Ecclesiæ societate & concordia abstrahere, ad prophanas verò, & cũ vero Euãgelio verboq; Dei pugnantes nouitates, ipsas etiam inter se varias & cõtrarias, quasi ad alienos Deos colendos pertrahere nos nitatur, & vel in deserto prædamnatarum ab Ecclesia Christi hęreseôn, vel, in nescio cuius, omnibus præter se, vel paucos alios hactenus ignorati Euangelij penetralibus Christum nobis ostendat, & his fructibus, à quo nam profecta sit, sese prodat planissime. AVL. Eò me adduxisti, vt tibi assentiri cogar, prauitatem & errores in hac noua doctrina inesse. Sed nõ quiuis error statim hæreseos damnandus est. MON. Fateor. Verum de capitibus religionis falsum & prauum dogma pertinaciter tueri, aut scripturam sacram peruerse interpretari, & pro verbo Dei vẽditare, id, quod est à verbo Dei alienum, hæreticum est. Quod ipsi quoq; nõ diffitentur. Huiusmodi autem esse doctrinam istorum, iam satis, opinor, apertè demonstratum est. AVL. At alij tamen, alijs minus errãt. Et multi in multis agnouerunt correxerunt errores suos. MON. An errores suos, nescio: Contraria quidem ijs, quæ prius docuerant, multos docuisse scio, & ostendi etiam. Sic tamen id fecerunt, vt ferè prauitatem prauitate

*Hæresis quid.*

*Buc. contra Lato. In collo. VVormat.*

*Oecolamp. in Dial. contra Melancht.*

*An corrigant errores suos pseudeuangelici.*

cōmutarent, & qduis poti⁹ facere ac pati, q̄ in viā vnde deflexerant, redire mallēt. Nōnunq̄ seruierūt in eo scenæ magis, quā q̄d verè & ex aīo damnarēt ea, quæ reprehendere & corrigere videbātur. Argumento sunt cū syncretismi inter dissidentes, Marpurgi olim, & nuper ante colloquiū Vvormatię institutū, Francofordię ad Mœnū, & aliàs alibi facti: de quibus nunc plura nō dico: tū quæ ipsi vel admittunt, vel scriptis mādāt, aduersariorū doctrinę magis, quā suę cōsentanea. Qualia sūt, exēpli gratia, q cū Lutherani cōtra Zuiglianos asseuerent, verè, & vt Theologi vulgo loquuntur, realiter esse Christū in Eucharistia, non verbo tamen Dei, sed vsu sumentium id effici aiunt, adorandumq; esse negant. Mitto quod Caluinus nuper scripto in lucē edito in dogmate de Eucharistia negat penitus aduersari sibi cōfessionem Augustanā, Philippū aūt architectum eius nō magis à se, quàm à proprijs visceribus in ea causa posse diuelli asseuerat. Atq; id interrogatus Philippus opportuno loco refellere, aut negare ausus non est, & tamen ipse author Augustanæ confessionis hactenus prę se tulit, & præ se ferunt etiamnū, qui eam amplectūtur, se credere Christum verū deū & hominē præsentē esse in Eucharistia, ac damnare eos, q diuersum sentiant. Sed vt id quoq; tibi dem,

*Caluinus contra VVestfalum.*

dem, tametsi possem nõ dare, Melanchthonẽ, Brentiũ, ac cæteros eiusdem farinæ, quos tu significare videris, correxisse multa, & minus tetra Christianisq; auribus absurda docere, quàm alios: At bonum iecere unà cum Luthero suo fundamentũ cum ijs, quæ ipsimet damnãt, tum alijs omnibus peruersis dogmatibus, quæ extiterunt, atq; etiam nunc existunt, & adhuc possunt existere: quod certè non mutarunt: imò omnia sua dogmata in eo construxerunt. AVL. Quodnam illud? MON. Vnum de duodecim sanctæ religionis Christianæ capitibus, in quo multũ, ne dicam omnia, posita sunt, reiecerunt. Hic certè recusare ij non possunt, quo minus pro hæreticis habeantur. Quãuis.n. ipsi nimis adstringant nomẽ hæreseos, symbolũ tamen eo loco habẽt, ut licet id scripturis cõprehensum nõ sit, scripturis tamẽ id exequẽt, & cũ ijs ex æquo iudicẽ omniũ de religione cõtrouersiarũ id statuant, & pro hæretico habeant, quisqs aliquod symboli caput non recipiat. AVL. Quodnam autem obsecro istud symboli caput est, quod ij reijciunt? MON. Credo sanctam Ecclesiam Catholicam. AVL. Quid ais? Profitentur illi sanctam Ecclesiam catholicã. MON. Verbis quidẽ profitentur, factis autem negant. Nam eius authori-

*Fundamentum hæreseon.*

*In actis colloquij Vuormacien.*

tatem

tatem labefactarunt, non modo ipsum nomen catholicæ, sed etiam omne eius iudiciū aspernati, dum asserunt canones sanctorum patrū atque conciliorum, & receptos mores ac instituta Ecclesiæ, traditionesque Apostolicas ab ea ipsa Ecclesia conseruatas, quæ sacris literis expressæ nō sint, esse commenta hominum, quibus nos credere non oporteat. Libros quosdam sacros veteris ac noui testamenti, nothos esse, licet eos Ecclesia recipiat: Et in ijs autem, quos non reuocant in controuersiam, non eum, quē veteres orthodoxi doctores, & vniuersa Ecclesia per tot secula amplexa est, & nobis quasi per manus tradidit, sed quem ipse sibi quisque excogitarit, verum & germanum esse sensum. Cum autem his ita docendis & faciēdis authoritatem Ecclesiæ labefactarint, nihil certi nobis in religione reliquerunt. Potuerunt profectò in hoc fundamento Carolostadius cum Zuinglio & Oecolampadio, & post eos Caluinus securè illud construere; quòd sub specie panis & vini in eucharistia, non est verè corpus & sanguis Christi, & redarguentia se illa verba Christi ipsius, Hoc est corpus meum. Et: Hic est sanguis meus: ita interpretari, vt dicerent, per panem & vinum, corpus & sanguinem Christi significari, vel

Sacramētarij.

ea esse figuram corporis & sanguinis ipsius, sicut & illud, vbi dicit Paulus: Petram fuisse Christũ: vel ipse Christus: Ego sum vitis vera. Potuit idem Caluinus: Deum in hominibus authorem & patratorem esse omnium flagitiorum atq; scelerum, quanq; ab ea sententia ne Melanchton quidem alienus est, ac ne ipse quidem Lutherus, sicut iam prius dixi. Potuerunt Anabaptistæ: Non esse efficax baptisma infantium, eò quod de eo nullum extet præceptum Christi in sacra scriptura: quin quod ex ea cõtrarium potius accipiatur, cum Christus fidem cuiusq; propriam à baptizandis exigat, dicens: Qui crediderit & baptizatus fuerit: cuius expertes sint infantes: quippe qui necdum ratione vti queant. Potuerunt ijdem: Nos omnes liberos esse, nec debere quenquam cuiquam subesse, ita præcipiente Paulo: Precio empti estis, nolite fieri serui hominum. Potuere & Memnonij, qui non credunt Christum verè humanam naturã de virgine assumpsisse. Potuit Osiander, frustra Christum esse mortuum, cum non essentia eius diuina iustificemur. Potuere & ij, qui volunt inter Christianos cõmunes esse debere vxores, facultates, atq; adeò omnia, & vt ab hominibus canum vel pecudum in morẽ sine

*1. Cor. 10.* *Ioan. 15.* *Caluinus.* *Anabaptistæ.* *Marc. ult.* *1. Cor. 7.* *Memnonij.* *Osiander.* *Adamitæ.*

Seruetiani. verecundia vita degatur. Potuere Seruetiani, filium Dei patre minorē esse. A quo ne Lutherus quidem videtur abhorruisse, ὁμοούσιον, hoc est, cōsubstantialis nomē, ac Nicæni cōcilij patrū contentionē exagitās. In isto ipso fundamento Franciscus Stancarus, q nescio sit ne monachus apostata, an Iudæus, an vtrunq; peruersa dogmata sua extruit, soli humanæ Christi naturæ iustificationis hominū beneficiū acceptū ferens: Christū secundū humanam naturam, & quatenus homo est, esse verū, propriū & naturalem filiū Dei asserens, & cum Eutychete naturas confundens: Humanam naturā ipsam in se nobiliorem atq; præstantiorem esse angelica: Christum idem quod Moysen statuisse de diuortio, licereq; quauis de causa, & quoties libet, virū iuxta ac mulierem diuortiū facere, & aliud matrimoniū contrahere. Et tamē sunt apud nos in Polonia, q illū talē aliūde a bonis & sapientibus viris ex bene constitutis rebus publicis pulsum tuentur, & fauore psequunt, ac tantum non in manibus gestant, non ob aliud, quàm quòd dissentit ab Ecclesia catholica. Quibus non suppeteret tantū intelligentiæ & audaciæ, nisi incrassati, impinguati, dilatati essent bonis Ecclesiasticis, fit enim ferè, vt nulli sint capitaliores hostes Ecclesiæ, q̄ q de bonis

Stancarus.

Ecclesia-

Ecclesiasticis tenerius enutriti sunt, & locupletati. Sed ad rem redeamus. In eo ipso fundamento extruxit & Suencfeldius, neq; auditionem, neq; lectionem verbi Dei cuiquã necessariam esse, cum simus omnes θεοδίδακτοι, hoc est, docti à Deo, & nescio quæ alia dogmata pestilentia, & à superioribus omnibus longè diuersa. His omnibus Lutherus cum suis istis, quamlibet modestis in speciem, amiculis, causam pbuit, & classicũ (q̃d dicitur) cecinit, dum authoritatem Ecclesiæ catholicæ debilitauit. Quod si enim cum aliquo istorũ hæreticorum disseras, ac diuersum vel cõtrariũ asseras, mox tibi respõdebit: Nõ cõtineri id in scriptura q̃d tu dicas: Aut si scripturã pferas, negabit ille librũ, vnde ea prõpta sit, esse in canone: aut statim contrariã scripturã proferet, cõfidenterq; asseuerabit, hanc illa esse maioris authoritatis, aut nõ sic eam oportere intelligi, vt tu intelligas, sed vt ipse. Quod si demonstres ei, sic sanctos patres, cõcilia, & Ecclesiã catholicã intellexisse, & intelligere: Respõdebit, Hoïes & illos fuisse: proptẽ cõmenta hominũ non esse nobis transgredienda pcepta Dei, quasi de verbo dei sit, ac nõ de intelligẽtia eius, cõtrouersia: Se deniq; tã recte, ac rectius etiam scripturam sacram intelligere, quàm cæteros oẽs homines,

Suencfeldius.

Hæreticorum confidentia.

qui vnquam fuerunt, sunt, & erunt, & quàm vniuersam Ecclesiam. Quod quidem arrogantissimè passim iactitant Lutherus, Melanchthon, Caluinus, Brentius. Hic iam ij gradum sistant oportet: Nec possunt, quamlibet impijs sua quoque opinione hæreticis repugnare, cum ipsi idem sentiant: Aut certè aliena dogmata euertendo, sua euerterent: Quod quidem vsu venit Luthero in oppugnandis Anabaptistis, &, ni fallor, Sacramentarijs. Quid autem prohibebit, quo minus in isto ipso fundamento aliquis dogma illud, ad quod potissimum Satanas per istos administros suos collimat, exędificet? nimirum, Non esse Deum. Habuerit is certè etiam scripturę sacræ adminiculū. Quod si dicas: Insipientis illam esse sententiam: Respondeerit: Paulum optare, vt Corinthij sustineant insipientiam suam, imò velle, vt velut insipientem se accipiant. Hic tu frustra ad distinctionem, vel interpretationem confugias. Suam ille non modò tuæ, sed omnium patrū atque vniuersæ Ecclesiæ interpretationi prætulerit. Viden' quale ædificium in istorum fundamento exędificatum sit? Non minus est autem in culpa, qui mali causam præbuit, quàm qui id patrauit. Atque ita nō minus isti elegantiores & moderatiores, quemadmodū ipsi videri

Psal. 13. & 52.

2. Cor. 11.

deri volũt, siue Lutherani, siue Euangelici aberrarunt, q̃ illi alij, quos ipsi damnant, quandoquidem in eorum principijs & fundamentis illi quoq; dogmata sua condiderunt. AVL. At vtuntur ij quoq; testimonijs & interpretationibus patrum ad stabiliendum ea, quæ sentiunt ac docent. MON. Ita sanè: Turcæ quoq; pacta seruãt: Scilicet quoad ipsis expedit. Nec à patribus autem isti sensum scripturarum petunt (nisi forte, cum illorum quispiam proprium suum sensum, quàm Ecclesiæ totius consensum sequi maluit) sed suum ad illos afferũt, eadem videlicet religione in eis, qua in sacris scripturis, versantes, vt quamuis reluctantes obtorto collo trahant eos in suam sententiam, & pro se facere asseuerent, non pili facientes, etiam si ipsa rei euidentia, vel falsi, vel calumniæ coarguantur. Quin eò prouehuntur audaciæ, vt non vereantur in ijs, patribus inquã & vetustis scriptoribus Ecclesiasticis, rectè scripta, & quæ cauillari, ac in suum sensum detorquere facilè nequeunt, mutando aut expũgendo corrumpere. Quod faciunt maximè in ijs libris, quos ex alia lingua in aliam transferunt, aut opera Typographorum in lucem edunt. AVL. Quid ais? MON. Vera loquor. AVL. Profer aliquid eiusmodi. MON. Faciam:

Socr. lib. 2. cap. 8. & 17. hist. Eccl. Historiæ Ecclesiasticæ scriptor Græcus Socrates citat aliquoties canonem Ecclesiasticum, quo sancitur, Non oportere præter sententiã siue authoritatem Romani Episcopi Ecclesĳs canones siue regulas vllas statui, vel (quod perinde est) concilia celebrari, vt olim vertit Hist. Tripart. lib. 4. cap. 9. consarcinator historiæ tripartitæ. At fidus, si Deo placet, interpres Andreas Musculus vertit & edidit, Nõ debere canonice dedicari Ecclesias sine consensu Romani Episcopi. Quod quàm longe diuersum sit à sententia Socratis, nemo non videt, qui vel primoribus labris Græcas literas degustauit. Ac nimium sanè Musculus hic tribuit Romano Episcopo, quippe, qui ne in vltimo quidẽ oriente patiatur Ecclesias sine eius authoritate consecrari: Sed interim rem suam agens egregie fallit. Non errore autem & ignorantia eum lapsum esse, arguunt ea, quæ in eo ipso capite 8. præcedunt & sequuntur: quibus ex professo de synodo agitur. Fit quidem etiam dedicationis mentio, sed obiter: nimirũ quod eius prætextu synodus Antiochiæ coacta fuit: Verum quæ statim sequuntur, quorumq; ratio per canonem illum redditur, de synodo loquuntur. Euidentius autem Musculum arguunt, quæ cap. 17. scribuntur. Vbi sic author

illc

ille de Iulio pontifice memorat, nulla facta dedicationis mentione: Vtar aūt ipsis Musculi verbis latinis: Literarum istarum inter se cōtrariarum exemplaria Iulius Episcopus Antiochiæ congregatis misit: scripsitq́; primū q̄ molesta fuerit ipsorū epistola, deinde quòd p̄ter canones egerint, quòd ipsum ad synodū nō vocassent, cum canō Ecclesiasticus vetet Ecclesias cōsecrari sine sententia Romani Episcopi. Vides ne quā non respōdeant vltima primis? Expostulat Iulius se non vocatū esse ad synodum. Quid autem in eo peccatum est Iuli? Maximè, inquit, contra canonem Ecclesiasticū, q vetat Ecclesias cōsecrari sine sententia Romani Episcopi. Prẹclare. Quis est tam stupidus, q hic fraudem interpretis non deprehendat? Vis etiam euidentiorem demonstrationē, quā vel cœcus palpare queat? Citat etiā Sozomenus eundem canonem: Atq; eum locū ita vertit idem Musculus: Iulius vbi cognouisset Athanasio tutum nō esse, vt in Ægypto maneret, accersiuit eū ad se. Illis aūt, q Antiochiẹ cō uenerant (Nam tum tēporis epistolā illorū acceperat) scripsit, reprehendens eos, q clanculum Nicœni concilij dogma alterassent, & p̄ter Ecclesiẹ leges ipsum ad synodū nō vocassent, cum sacerdotali lege cōstitutū sit, ꝓ irri-

Sozo. lib. 3. cap. 10. hist. Eccl.

tis

tis haberi debere, quæ præter sententiam Episcopi Romani geruntur. Quid apertius, quàm non de consecrandis Ecclesijs, verum de synodis decretisq; synodorum canonem illum etiã apud Socratẽ loqui? AVL. Cur igitur hic Musculus non deprauauit itidem atq; ibi? MON. Dicam. Quoniam apertiora sunt verba Sozomeni, quàm vt fraus interpretis latere posit: Aut si mauis, quia minus valuit is memoria, quàm valere mendacem oportet. Quid illud, quod nuper in colloquio VVormatiensi ipsę columnæ Ecclesiæ Lutheranæ negarũt in suo codice reperiri apud Theophilactũ verba illa, quibus in eucharistia ostenditur fieri μεταστοιχείωσις, hoc est, transelemẽtatio siue transsubstantiatio panis & vini? An non extant ea verba in Græcis exemplaribus, quæ vulgo circumferuntur? an non in latinis quoq;, ab ipsorum compari Oecolampadio versis? Quam igitur in vertendis & edendis libris, aut vlla omnino in re fidem habebimus istis, qui ita se gerũt in ijs, quæ facilè possunt coargui? AVL. Vt hæc omnia tibi concedam ita esse, certè vel illud mihi vicissim cõcedas oportet, ex hac Lutheri, Melanchtonis, & aliorum Euangelicorum doctrina & scriptis nostra memoria permultum boni extitisse: Certè vel illud mihi

*Theoph. in Mar. cap. 14.*

conce-

concedas oportet, ex hac Lutheri, Melanchthonis, & aliorum Euangelicorum doctrina & scriptis, nostra memoria, permultum boni extitisse. MON. Quidnam? AVL. Si nihil aliud, illud profectò magnum est, quòd ij vobis Sacerdotibus & monachis de libris sacræ scripturæ puluerem & situm, quo per multos annos obducti erant, detersere, & suffusionem, qua vobis oculi ad verbum Dei caligabant, detraxere. Neq; enim negare potes, vos in scholis & monasterijs, non nisi Philosophiam aut sophisticam, vel summas, nescio quas, atq; doctores eos, quos vocant scholasticos (quos ego nominare nescio) tractare, atq; inde nobis rudi plebeculę concionari, siue, vt verius dicam, fabulari solitos esse, exempla & miracula fabulosa promentes; Christi verò ac verbi eius, hoc est, Euangelij & Paulinarum epistolarum raró, aut nunquam mentionem facientes: Neq; enim in eo versati eratis, donec Lutherus eò vos perpulit. MON. Hæc quidem est istorum calumnia: Sed nunquam defuit verbum Dei in Ecclesia. Lecta est semper sacra scriptura, & bene tum intellecta, tum explanata. Quanquam non iactata fortaßis apud vulgus hominum tanta ostentatione, quanta nunc fit. Ædificare tunc pij concionatores Ec-

*Pseudeuangelici studia hominum ad lectionē s. scripturæ excitarunt.*

clesiam Dei studebant, non peritiam scripturarum, aut obscurorum dogmatum scientiam ostentare: Cumq; apud Christianos auditores, & salutari de fide in Christum doctrina imbutos concionari se non ignorarent, Pauli ac cęterorum Apostolorum exemplo, mores hominum potissimum à uitijs reuocando, & ad pietatem cultumq; Dei, ac cæteras uirtutes & officia uitæ excitando, informabant. Et cum animaduerterent, exemplis maximè duci homines, ea cùm è sacra scriptura & Ecclesiasticis historijs petita, tũ à se fortassis uel ab alijs pio quodam studio excogitata, & ad id, quod agebant, accõmodata, in primis inculcabant. Difficilioribus aũt quæstionibus, quarũ plebs capax non erat, abstinebant: receptam Basilij, Gregorij Naziãzeni, Origenis, Cyrilli, Chrysostomi, Dionysij Areopagitæ, atq; adeo plerorũq; omniũ S. Patrum doctrinam, Christiq; ipsius Dñi ac Magistri nostri, & Apostolorũ, teste Eusebio, exemplum secuti: eas fere ad scholas Theologorũ rejciebant; Vbi excutiebantur eæ subtilius inter doctos, sacris scripturis adhibitis. Quoniam aũt sunt eæ nonnunq; obscuriores, & pugnare inter se uidentur, plus operę insumebatur in rationibus naturalibus ac dialecticis, doctorũq; orthodoxorum testimonijs

*Basil. de Spiritu sanct. ca. 27*
*Naz. de Theolog ser. 3.*
*Orig. in Ezechiel. om. 11.*
*Cyril. in Leu. libro 5.*
*Chrysosto. in Psalm 140.*
*Dionysius ad Timoth.*
*Eus. de monst. Euang. lib. 1.*

moniis citandis : ppterea quod nemimi esset dubiũ eos recte sensisse, et probè scripturas sacras intellexisse & interpretatos esse. Attingebant tamen etiam cõcionatores nõnunquam obscuriora quędam, alius alio moderatius, uel iactantius. Plerunque autem aliena authoritate niti, quàm noui aliqd de suo pferre malebant, et in maiore, quàm nunc est (inuenta arte Typographica) librorũ penuria, in cõpendiis & summis qbusdam, quas uiri, pietatis atque doctrinę opinione florentes, ante se cõscripserant, ferè conquiescebant, securi, recte eas, Christique et Apostolorum doctrinæ & Ecclesiasticæ traditioni cõuenienter conscriptas esse. AVL. Atqui ipsi quoque summularii uel summarii, & omnino scholastici doctores, operosis & inutilibus quæstionibus dediti, eam doctrinã, quæ uerè Euanglica & salutaris est, neglexerunt. MON. Est hæc peruulgata noui istius Euangelii aduersus uerã Christi Ecclesiam calumnia: superioribus sæculis uerã de religione doctrinam in ea ignotã fuisse, proinde ea non modò inutiles quæstiones, uerũetiã falsas quasdam & uerbo dei cõtrarias opiões peruagatas esse: Vtpote, doctrinã de fide neglectã, & penè obliteratã: officiũ mediatoris dei & hominũ Christi Iesu nõ satis agnitum: beneficia eius meritis bono-

 rum

rum operum, satisfactionibus, indulgentijs, & orando pro defunctis obscurata: gloriæ Dei, sanctorum inuocatione & meritis, itemq; veneratione imaginum & cultibus, sine verbo Dei institutis, plurimum detractum: instituta Christi Euangelica traditionibus humanis commutata: libertatem Christianam dierum obseruatione & alijs Iudaicis cæremonijs imminutam & oppressam propemodum: conscientias hominum excarnificatas, & ad desperationem misericordiæ Dei adductas: deniq; totam fermè religionem Christianam partim Iudaismo, partim idololatria, vel, vt ipsis magis libet loqui & scribere, idolomania contaminatam fuisse. AVL. Sic est: hæc illi scholasticis doctoribus & vobis impingunt. MON. Sed impudenter (quod pace tua dictum sit) perfrictis frontibus mentiuntur: Qui quidem vel præcipuus est fructus istius Euangelij, vndè planè quiuis agnoscat, quem id authorem habeat: Nempe eum, de quo ait veritas in Euangelio suo: Mendax est, & pater eius. Calumnias autem eas esse, facile quiuis deprehēdet, qui scripta eorum, recentiorum inquam, & scholasticorum Theologorum, semota maleuolentia, legerit: Et est id perspicue demonstratum cùm ab alijs rectè sentientibus nostri temporis

Theolo-

Theologis, tum à viro doctißimo & pientißimo, Hosio nostro, non magis nomine, quàm re Hosio, Episcopo Varmiensi. Sunt ab eis tractata cùm hæc ista, tum omnia perquã diligenter, religiose, & piè, non sine accurata excussione sacrarum scripturarum, ita vt negare non poßis, fuisse eos in ijs exercitatißimos. Quod si me tamen vrgebis, vt tibi concedam, minus quàm par esset, curæ ac studij superiori tempore impensum fuisse lectioni sacrarum literarum, non magnopere tibi refragabor. Solet hoc fieri in eo genere studiorum, quod cum labore aliquo coniunctum est, vt homines rebus tranquillis & quietis non parum de exercitatione, instrumentorumq́ꝫ suorum tractatione & vsu remittant. Nautę quidem cum serenum est cœlum, & mare tranquillum, & cum secundo vento nauigant, omißis remis ludũt inter se, aut aliud quippiam agunt. Vos quoqꝫ equestres & militares homines, quia pax est, nonne aratro & rei familiari, & nonnulli mercaturæ manus, abiectis armis, admouistis, ita vt gladios vestros rubigo occupârit? Neqꝫ tamen propterea bona est tempestas, aut bellum, quod hoc milites, illa nautas eò adducit, vt omißis rebus alijs, artes & instrumẽta sua tractent. Eadem ratione non propterea

*Hæreseon utilitas.*

Lutherus aut eius doctrina laudem meretur, quod eo nos adduxit, diligentius vt scripturã sacrã tractemus. Nec propterea hæretici laudẽ
1. Cor. 11. digni sũt, qd scribit Paul⁹: Oportet & hæreses esse, vt q̃ ꝓbati sunt, manifesti fiant in vobis. Valde sunt vtiles Eccles. hęretici, quẽadmodũ
Aug. de uera relig. cap. 8. scribit Aug; nõ uerũ docẽdo, qd nesciũt, sed ad verũ q̃rendum carnales, & ad verũ aperiendũ, spirituales catholicos excitãdo. Sunt. n. innumerabiles in Ecclesia sancta deo ꝓbati viri, sed manifesti nõ fiũt int nos, quãdiu imperitię nostrę tenebris delectati, dormire malumus, q̃ lucẽ veritatis intueri. Quapropt multi vt diẽ dei videãt & gaudeãt, ꝑ hęreticos de sõno excitãtur. Vtamur igit etiã hæreticis, nõ vt eorũ apꝓbemus errores, sed vt catholicã disciplinam aduersus eorũ insidias asserẽtes, vigilantiores & cautiores simus. Hic sane etiã August: testificatur, vtiles nobis esse hęreticos: At nõ ꝓpterea ꝓbandi sunt, ipsorũue dogmata. Eodẽ sane argumento ꝓbari posset, Iudæos recte fecisse, ꝙ Christũ morte affecerũt, ꝑ quã nos salutem adepti sumus. Quin & Satanas hic laude sua fraudãdus nõ esset, q Iudeos eo induxit: Ne in eo q̃dem, quod tã multi sancti martyres ꝑ supplicia sua in cęlũ peruenerunt. Nam nisi Satan Iudæos & Paganos in eos concitasset, fortas-

sis

fis martyrij coronam adepti nõ fuissent. AVL. Sed tamen multa vtilia & salutaria Lutherus, Melanchthon, Brentius, & alij, quos vos pro hæreticis habetis, docuerunt & conscripserunt. MON. Est ita. Aliter namq; homines non decepissent, nisi bona malis, & vera falsis admiscuissent. Venena quoq; facile esset cauere, nisi dulcedine aliquã temperarentur, & bono cibo potuiue immiscerentur. Neq; pisces hamum deuorarent, nisi esca præfigeretur. Iam olim scripsit Paulus, quod etiam dudũ cõmemoraui: Nam eiusmodi pseudapostoli sunt operarij subdoli, transfigurãtes se in Apostolos Christi. Et nõ mirũ: Ipse, n. Satanas transfigurat se in Angelũ lucis. Non est ergo magnũ, si ministri eius transfigurent velut ministri iustitiæ. Et Christus ipse nos præmonuit, q̃ falsi Prophetæ in vestimẽtis ouiũ ad nos essent venturi. AVL. Si verũ est, Lutherũ, Melanchthonem, Brentium, addo etiam Caluinũ, & alios recentiores multa bona literis mandasse, cur bona non amplectamur, mala aũt reijciamus? MON. Quis aũt mala à bonis discernet? AVL. Id quidem facile est. Quicquid est cõsentaneum verbo Dei & scripturæ sacræ, id amplectendum est. Quod verò contrariũ est, aut nõ extat in Euãgelio, vel Apostolicis scriptis, recipiẽdum

*Heretici recta prauis admiscent.*

*2. Cor. 11.*

*Matth. 7.*

*Hereticorum scripta cauenda.*

dum nō eſt. MON. Nihil eſt fallacius iſta regula. Iam audiſti ex me, nullis ferè vnquã hæreticis ſcripturas defuiſſe, quibus dogmata ſua, quàmuis abſurda, improba, & impia tuerentur, detorquētes eas ad ſuam ipſorum & multorum aliorum perditionem. Proinde hæreticorum & ſuſpectorum ſcriptorum lectione prorſus abſtinendum eſt, ijs præſertim, qui nō

1. Tim. 1. ſatis perſpectam habent formam ſanorũ verborum, & quorum partes non ſunt, exhortari

Tit. 1. alios in doctrina ſana, & eos qui contradicunt arguere. AVL. Nullus eſt tam malus liber, quin aliquid boni ex eo percipi queat. MON. Verum: At in eodem prato apis mel, araneus venenum ſugit, vterq; ſecundum naturam ſuam: Ouis innocua tam facile, nec ſcio an facilius etiam, malam ac peſtilentem, quàm bonã herbam carpit, & imprudēs ſeſe inficit. AVL. Nos quidem homines ſumus, non oues: Non deeſt nobis ratio & iudicium. MON. At Chriſtus redemptor & liberator noſter oues nos eſſe voluit, nempe vt ouium in morem non ſua quiſq; ſapientia niteremur in ijs, quæ ad religionem & ſalutem noſtram pertinent, ſed paſtorum curæ ac ductui nos totos permitteremus. Ne Euæ quidem in paradiſo defuit, in

Gen. 3. quo delectum faceret: nec fuit ea ratione deſtituta:

tuta: Perfecti enim à Deo conditi sunt primi parentes nostri: Et tamen præterita arbore vitæ, noxium fructum ea decerpere maluit: quo se & nos omnes pessundedit. Quid autem eam decepit? Vidit mulier, ait scriptura, quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile, & tulit de fructu illius & comedit. Quàm sæpe autem verum est in vita hominum illud, quod scribit poëta quidam?

*Fallit enim uitium specie uirtutis & umbra.* Horat. lib. 1. serm.

An non animaduertimus autem quæso, nos ipsos quoque (licet homines, non oues simus) in quotidianis escis libentius & auidius malam & insalubrem, quàm bonam appetere, & suauius vesci? Recte Moses cunctam cogitationem cordis humani intentam ait esse ad malum omni tempore. Gen. 6. Quid autem attinet è turbidis & impuris lacunis haurire aquam, cum è limpido fonte potare liceat? Non temere igitur vulgo interdicitur hæreticorum librorum lectione. Veritatis enim simplex est oratio, vt est in prouerbio: Falsum autem verborum lenocinijs fucatum, & quasi suauibus quibusdam cōdimentis temperatum, priusquā aduertas animum, speciè boni in pectus sese insinuat. Ne verò existimes nouum id esse & in-

S solens,

solens, interdici quibusuis lectione hæretico-
Can. 9. rum librorum: Septima synodus Oecumenica
statuit, ne quis eiusmodi libros habeat. Si quis
aũt habuerit, vt Episcopo tradat. Quod si non
fecerit, clericus quidẽ deponatur, laicus verò
Cypr. ad Cor. epistola 6. à communione arceatur. Et longe vetustior ea
sanctus martyr Cyprianus, schismaticorum
quoque scriptorum lectione abstinendũ esse cẽ-
set. Quin & Cõstantinopolitana quædã syno-
dus, seu potius conciliabulũ Arrianorũ Epi-
scoporũ, ita scribit de Aetio, & ipso hæretico,
quemadmodũ Theodoritus memorat: Con-
Theod. Eccle. hist. lib. 2. cap. 28. dẽnato à synodo Aetio, ꝑpter nefaria & offẽ-
sionum referta scripta ipsius, fecere Episcopi,
quod Ecclesiasticis legibus consentaneum est,
vt & honore diaconatus priuaretur, & expel-
leretur Ecclesia. Nosque editis monitionibus, le-
gi nefandas epistolas ipsius vetuimus, ac oẽs
hortati sumus, vt illas tanquam inutiles & in-
fructuosas abijcere vellẽt. Vides ipsos quoque
hæreticos hæreticorum librorum lectione
Lex de lib. hæreticorum exurendis. alijs interdixisse? Porrò Cõstantinus magnus
imperator Christianus seuere edixit per omne
imperiũ suum, vt libri hæreticorũ exurerẽtur.
Socr. hist. Ec. lib. 1, cap. 9. Si qs verò occultaret, vt capitali pœna afficẽ-
Sozom. hist. Eccl. lib. 2, cap. 22. retur. Extat & Iustiniani similis lex in Autẽti-
cis, siue nouellis constitutionibus. Iam verò &
Paulus

Paulus hæreticũ hominẽ vitari iubet post vnã & secundã correptionem. In quo nõ tam illud spectat, vt ne cibũ cum eo capiamus, aut negocij quicquã in vita cõmuni habeamus, aut vt occursus quoq; eius vitemus: Quanquã & hęc sunt cauenda, quantũ in nobis est, secundũ aliã eiusdẽ Pauli doctrinã: vbi dicit, cum eiusmodi ne cibum quidẽ sumi oportere: & Ioãnes neq; in domum eum recipi, neq; aue ei vult dici. Non tam hęc tamen spectare ibi videtur Paulus, quàm vt colloquia, conciones, disputationes, scripta eorũ, execratorũq; sacrorũ cõmunionem, & quicquid eiusmodi est, vnde infici animi nostri possint, sedulò fugiamus. Quod quidẽ aliũde planũ fit, vbi idẽ Apostolus prophana & vaniloquia deuitanda esse precipit, & causam addit: Quia sermo eorũ serpit, hoc est, proxima quæq; inficit, vt cancer. Eodem spectat sapiens, cum dicit: Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea. Proinde scripta pariter & colloquia concionesq; hæreticorum atque schismaticorum, & cœtus ad orandum & colendum Deum instituti, vt inquinamenta, magnopere vitãdi sunt pijs omnibus: Neq; vnquàm, siue in cultu Dei, siue in vllo dogmate, coniungere se quisquam debet cum Ecclesia malignantium, & à cœtu atq; communione

Aut. ut Anthimus Tit. 3. Hæretici uitandi.

1. Cor. 5.

2. Ioan.

2. Tim. 2.

Ecclesi. 13.

*Polonorum constantia in religione.*

ſanctorum, hoc eſt, Eccleſiæ catholicæ ſegregare. Quod quidem à maioribus noſtris perquàm religioſe obſeruatum eſt per ſexcentos ferè annos, qbus Polonia, cum ſemel Chriſto nomen dediſſet, nunquam ſeſe per Dei gratiã ab Eccleſia catholica ſegregauit, aut vllis profanis hæreticorum nouationibus contaminauit. Ante centum quidem & viginti vel triginta annos non pauci equeſtris ordinis nobiles & factioſi homines, Huſsi & Vicleffi ſectam atq; dogmata amplecti cęperant: ſed celeriter id malum conquieuit. At nõ ocioſi eius rei ſpectatores erant rex & ſenatus regni, tam profanus, vel vt vocant ſecularis, quàm Eccleſiaſticus. Non ſunt illi viri pij & ſapientes paſsi, malũ id radices agere, neq; ſerpere, nullam neq; neceſsitudinũ, neq; loci cuiuſquam, dignitatisúe rationem ducentes, ac ne priuatorum quidem commodorum ſuorum, potentięq; vel comparandę, vel oſtentandę. Euitabantur olim tales paſsim & plectebantur, qui curioſe ac temerè de religione diſſertabant. Vitabant eorum conſeſſus & congreſſus atq; familiaritatem boni & honeſti viri. Tantum aberant, vt quiſpiam arridendo, vel renidendo, vel ad honores & magiſtratus eos prouehendo auſus eorum approbare velle videretur,

tur,

tur, & animos eis adderet. Ac ne militibus q-dem externis, quorum auxilijs necessariò tunc vtendum erat publicè maioribus nostris ad propulsandas vicinorũ iniurias, facile indulgebatur. Quin & regnum armis virisq; florens cum offeretur vltro, à pio rege Cazimiro de sententia senatus amplissimi repudiatũ est, quòd videretur hæretica labe infectum esse. Ita tunc piaculum erat, commune aliquid habere cum hæreticis. Nunc id in laude vrbanitatis ducitur: neq; satis Vrbanus & Aulicus habetur is, qui de religione garrire nescit, vel non dignatur. Atq; ita vos aulici & nobiles homines pleriq; abiecistis militaria studia maiorũ vestrorum, Theologiamq; arripuistis, & perlecto libello, duobus tribusue grossis venali, aut ne lecto quidem, sed audito tantum, inter compotandum quopiam itidem duorum grossorum Theologo, confidenter & præfracte passim quibusuis locis ac temporibus de religione disputatis. AVL. Scilicet præstaret interim alea vel chartis ludere, aut perpotare eo vsq; dum oculi exiliant, aut nequiter & impudicè confabulari, aut obtrectare deniq; hominibus & ordinibus. MON. Vtinam quidem ab his vobis temperaretis. AVL. Equidem hæc non laudo; Cęterum lectionem & colloquia

 de

de religione ac de verbo Dei reprehendere nõ

*Psal. 1.* possum. Dauid verò etiam beatum pronunciat eum, quisquis in lege domini meditatur die ac

*Colloquia de religione qualia probanda sint.* nocte. MON. Bona qdem sunt colloquia de religione & rebus ad salutẽ pertinentibus, si sint modesta & honesta ac tempestiua, non curiosa, neq; pertinacia, ac non cum sciolis itidem & curiosis hominibus, sed cum ijs, q per multum tempus in eiusmodi rebus pio studio versati sunt: deniq; in loco, & hoc animi proposito, vt aliquid boni addiscas, non vt contentioni indulgeas. Hoc enim vetat Paulus

*1. Tim. 2.* dicens: Noli cõtendere verbis: Ad nihil enim vtile est, nisi ad subuersionem audientiũ. Quãquam autem nihil prohibet meditari quenquã in lege domini conciones sacras frequentantem, etiamsi ipse non lectitet, cum præsertim, qui à sacris Ecclesiæ ministerijs remotus,

*Lectio sacrarum literarũ, quæ & in quibus probanda.* alijs vitæ communis officijs destinetur: Sed tamen ne lectionem quidem ego reprehendo in ijs, qui abundant ocio, habentq; nonnullos progressus in literis, si tum pio studio piam & honestam vitam coniungant. Nam ita demum fructuosa fit sacrarum literarum lectio: Cui est sanè bonum & vtile incumbere, & in lege domini meditari, vt inde fidem & spem tuam confirmes, charitatem accendas, & vitam emen-

emendes,familiamq; tuam rectè gubernes & instituas; verum ista, vt ne minima quidem in re à sensu & consensu Ecclesiæ Christi discedere tibi fas esse arbitreris. AVL. Quid si multi errores,multaq; praua instituta & mores,qui abusus vocantur, extant in Ecclesia; ij ne assensu vel silentio nobis approbandi sunt? MON. Vtinam nihil sit eiusmodi. Verum de hoc aliàs, si videbitur. AVL. Iam adeò perturbatus est animi mei sensus, vt prorsus ignorem,quid sequar. MON. Ostendam ego tibi,quid sequare:nec errabis. AVL. Obsecro te,sicut me docuisti, quid fugiam, ita doceas etiam deinceps, quid sequar. MON. Faciam. Verum reijciamus hoc in alium diem. AVL. Ne in longum reijcias, vehementer te oro. Iam enim me adduxisti in fastidium doctrinæ istius,quã vocant Euangelicam; sed ne in vestra quidem, quam Ecclesiasticam vocatis,omnia mihi probatis, ꝗ vel ipsi docetis & sequimini,vel in ijs,q se à vobis segregant,reprehenditis. Videmini vos quoq;, perinde atq; illi,interdũ nimis contentiose agere.Spero aũt te aliquid æquabile & verbo dei cõsentaneum allaturum esse. MON. Idem & ego spero.Opto quidem certè.Nec te fallere velim in eo, in quo vtriusq; nostrum salus agitur.

AVL. Veni igitur quæso ad me cras in diuersorium meum: ibi simul prandebimus. MON. Nescio vbi diuertas. Nonne autem satius est te ad nos ad templum venire? Ibi licebit nobis in porticu cōuenire, & partim stando, partim sedendo, partim inambulando liberè colloqui. AVL. Placet: Verum heus tu, qua hora? MON. Duodecima. AVL. Recte. MON. Tu interim Deum precare, vt gratiam suam vtrique nostrùm impertiri dignetur ad gloriam suam. Idem ego faciam. Vale. AVL. Tu quoque vale.

DE

# DE VERA CHRISTI RELIGIONE, ET QVID HOMINI CHRISTIANO IN EA SEQVENDVM SIT.

## LIBER SECVNDVS.

*Martino Cromero Authore.*

COLLOQVVNTVR,

MONACHVS ET AVLICVS.



ONACHVS. Eccum hesternum Aulicum meum. AVL. Ego verò iam diu te expecto pater. MON. Bene se res habet: Iam patrē vocat, quem heri Pharisęum appellauit. Nondum est hora duodecima. AVL. Fortasis: sed mihi nox quoq; hæc longior esse visa est. Non leuiter enim me permouit hesternus sermo tuus de noua ista religione, siue doctrina, vt tu dicere soles, pseudeuangelica: adeò vt iam ea minus

 mihi

mihi placeat, quàm dudum. Quod si vos monachi & Sacerdotes crebro ita nobiscũ colloqueremini, aut pro cõcionibus nos doceretis, minus esset errorũ atq; dissensionũ inter nos. Nam licet multi sint, q propterea nouã illam doctrinam amplectuntur, quia suauis est, & ad licentiam frena relaxat hominibus, sed non pauci sunt item, qui religione incitati, & salutis æternę cupidi, cum in istos Euangelicos concionatores, aut libellos eorum inciderint, idem patiuntur quod famelici: nempe, vt cibum fortuitu oblatum, auidè vorent, non reputantes secum, sit ne is salubris, an insalubris. MON. Vera dicis: Et priusq; nouerint, quid nos doceamus, cæcum nostri, doctrineq; nostrę odiũ imbibũt. Etenim illi pfricta frõte vbiq; sese ingerunt, & cõfidenter de omnibus disserunt. AVL. Et quidem sacram scripturam quasi è manica, vt vulgo dicitur, fundẽtes, tertio quoq; verbo Euangelium & verbum Dei crepant: vos verò ad instituta & mores siue traditiones Ecclesiasticas, quasi ad normam quandam, pleraq; omnia reuocatis, & quod semel vsu & consuetudine inueterauit, qualecunq; id est, mordicus defensatis. Hic ego sanè quàm lubens ex te didicero, quid nos sequi oporteat. Ea de causa hic nunc adsum, hesterni pro-

Hæreseôn nostri temporis propagatarũ causæ.

ni promissi tui exactor. Spero autem te nihil eiusmodi dicturum esse, quo me in errorem inducas. MON. Auertat Deus, vt aliquid falsi aut praui te doceam. Agitur in eo, sicut heri dixi, salus animæ meę pariter ac tuæ. Nihil dicam quod verbo dei confirmare & probare nequeam. AVL. Istud equidem lubens audio. Enimuero hoc est verum certumq́ religionis nostræ fundamentum: Quo si niteremur, nunquam aberraremus, neq; essent inter Christianos ista dissidia. MON. Rectè istud perpendis, verbum Dei esse verum certumq́ verę religionis fundamentum. Neq; enim intellectus vllus creatus immensam illam & infinitam diuinę naturæ lucem perspicere, volũtatemq́ eius comprehendere potest, nisi quatenus ipsa se cuiq; impertit. Ipsius igitur Dei verbo informemur necesse est, quid nos sequi, quid fugere in religione ac Deo colendo oporteat. Ab hoc fundamento si recedamus, in fœdos falsarum religionũ errores, & in sempiternũ interitum, quod procul Deus auertat, delabi nos necesse est. AVL. Ita profectò docent Lutherani, siue, quemadmodum ipsi vocari volunt, Euangelici: & hoc mordicus tenent: Atq; ob id segregant sese à vobis monachis & sacerdotibus, ducuntq́ vos pro alienis à vera Christi

*Verbum Dei fundamentum est religionis.*

Ecclesia, quę verbo dei regatur: asserentes, vos à Dei verbo discessisse, humana commenta secutos: ita vt in vos quadrare dicant illud, quod dominus dixit Pharisæis: Irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram. Quin contaminasse vos religionem Christianam, non modò profanis superstitionibus, verum etiã idololatria, prędicãt. MON. Ita quidem illi nos vulgo traducunt & criminantur: Sed nõ sine impudenti calũnia. Quod prius quàm planũ fiat, constituendũ nobis est certi aliqd de verbo dei, ad q̃d deinde, quasi ad amussim certissimã doctrinã nostrã expendamus. AVL. Placet: In dirimẽdis. n. cõtrouersiis de iudice siue arbitro primũ cõueniat oportet. MO. Arbitrantᷓ isti, solas scripturas sacras esse verbũ Dei: Sed fallũtur, aut fallũt planissimè. Nã neq; solę sacrę scripturę: neq; eæ q̃libet sensu prolatæ & intellectę, sunt verbum Dei. AVL. Quid ais? Mihi certè permirum, ne dicã absurdum videtur, & Christi magistri nostri p̃cepto, quod nos scrutari scripturas iubet, cõtrariũ, si vsquã alibi, quàm in scripturis verbũ Dei, Christiq; doctrinã quęramus; aut, si quis eas (inquam) neget esse verbum Dei. MON. Non videbitur spero tibi mirum, neque contrarium Christi præcepto, cum quæ dixi probaue-

Matth. 15.

Propositio.

Ioan. 5.

probauero, & ad oculum demonstraro. AVL. Id expecto. Sed memēto, quomodo inter nos cōuenerit de ratione probandi. MON. Memini: Ac primum, nō solis scripturis sacris verbum Dei contineri. Sic aūt rem accipe. Homo, cum sit solus inter animantes mente & ratione præditus, nō modò ea quæ sunt & fiunt in rerū natura, intelligentia inuestigat & percipit, multaq; præterea naturæ vestigijs insistens excogitat, verum etiam animi sui sensa alteri communicat & explicat. Id autem facit partim verbis & sermone, partim scriptura, partim nutibus & gestibus, siue alijs quibusdam signis. Sed horum omnium certissimus & maximè proprius interpres mentis est sermo, ore prolatus, quem itidem atq; ipsum animi sensum siue conceptum, Græci λόγον vocant: Latini, Theologi præsertim, nonnunquā verbum dicere malunt: Cui scriptura, & nutus, gestusq; subseruiunt. Atq; hinc est, quod quamuis hæc inter se distincta sint, & vni cuidam generi subiecta, tamen quia propriam id appellationem non habet, non est inusitatum, vt non modò id, quod ore enunciatur, sed etiam quod manu scribitur, siue alijs quibusdam signis indicatur, sermonis & verbi nomine appelletur: & quidē non tam ipsa vox articulata,

Hominis præstantia.

Sermo & uerbum.

aut nominũ & verborũ contextus voce pla-
tus, scriptusúe, aut figura corporis & mẽbrorũ
hac appellatione designatur, quę cõprehensa his
rebus sensa, q̃ de animo loquẽtis, scribẽtis, vel
significantis in animũ audiẽtis, legentis, intu-
entis, aut quouis alio modo pcipientis trans-
*Verbum Dei quid appelle-tur?* funditur. Cum autem Deus etiam, pro summa
sua erga genus humanum beneficentia, men-
tem & voluntatem suam diuinam hominibus
ad salutem ipsorum, suamq́ gloriam patefaci-
at, id siue voce, siue scriptura, seu signo quopiã
sẽsibus obiecto fiat, seu quo alio arcano modo
animis insinuetur, verbũ & sermonẽ Dei vo-
camus. Nec refert, per se ipse deus id faciat, an
angelorũ hominũúe, siue alius cuiuspiam na-
turę conditæ ministerio. Nam et in humana
vitæ consuetudine, si quid legatus vel admi-
nister domini sui mandato loquatur, ipsius
domini verba seu verbum id esse dicimus:
Itemq́ scripturam seu literas domini appel-
lamus, quas amanuensis eius nomine &
mandato conscripsit. Quin etiam si literæ
ab alio atque alio transscribantur, dictaúe
iterentur, vel etiam describantur, nihilo-
minus rectè eius esse verba dicuntur, cuius
mentem voluntatemq́ explicant. Itaque
propriè quidem verbum Dei dicimus id,
quod

quod Deus ad Abraham vel Mosen, exempli *Hebr. 2.*
gratia, locutus est, siue id per Angelos, si- *Acto. 7.*
ue alio quopiam modo factum est. Sed &
internæ Prophetarum inspirationes, rectis-
simè verbi Dei nomine censentur. Hinc est *Psal. 84.*
illud Dauidicum: Audiam quid loquatur in
me dominus Deus. Decem quoque præce-
pta legis in tabulis lapideis digito Dei scri-
pta, rectè verba Dei dicuntur. Illud item rubi *Exod. 3.*
ardentis & nō conflagrantis visum siue osten-
tū, quod vidit Moses: itemque id quod Petrus *Acto. 10.*
in Ioppe, nō perperam verbū Dei dicitur. Nec
minus rectè autem id, quod siue Moses, siue
Esaias, seu quis alius, quem Deus alloquio vel
spiritu suo dignatus sit, diuinitus acceptum
alijs hominibus impertitus est, siue id viua
voce, seu scripto, siue alio quopiam signo fe-
cit, idque postea per longam seriem succedentiū
sibi inuicem hominum alijs atque alijs iti-
dem quasi per manus traditum est, Dei
verbum à nobis appellatur, dum modò eo
sensu accipiatur, qui sit menti ac voluntati
Dei consentaneus. Alioqui enim nihil minus
erit, quàm verbum Dei, licet ab angelo vel Pro-
pheta profectū, & conscriptū esse cōstet. Qua-
lia fuerunt ea, quibus Satan filium dei tentans
in deserto vsus est. Licet enim ille verè di- *Matth. 4.*
ceret:

ceret: Scriptum est enim: & quemadmodum scriptum erat proferret, tamen quia non eo sensu id proferebat, quo à spiritu Dei per Prophetam prolatum erat, non erat Dei verbum, sed mendacium, quod ille ex proprijs loquitur. Quoniam autem Christus dominus Dei filius, ac Deus verus est, quicquid is cum in terris inter homines versaretur locutus est aut scripsit, aut gestu signoúe vllo in mysterio repræsentauit, pro vero Dei verbo id habendum est: & quidem expreßiore, quàm quod à Prophetis enunciatum, vel scriptis mandatum est. Hinc Paulus Epistolam suam ad Hebræos ita orditur: Multifariã multisq; modis olim Deus loquẽs patribus in Prophetis, nouißimè diebus istis locutus est nobis in filio. Hic est, qui quæcunq; audiuit à patre suo, nota fecit nobis. Hic cũ nos de potestate peccati, Satanæ, & mortis morte sua liberasset, ac filios Dei, vitæq; æternæ, & regni cœlestis hæredes effecisset, siue adeò, vt magis propriè cum Ioanne Euangelista loquar, potestatem nobis, vt tales fieremus, dedisset, viam etiam, qua hæc tam præclara assequi queamus ac debeamus, Deumq; bonorum illorum authorem cognoscamus, & ritè in spiritu & veritate colamus, doctrina & exẽplo suo nobis

*Ioan. 8. Christi doctrina est uerbum Dei.*

*Hebr. 1.*

*Ioan. 15.*

*Ioan. 1. Christus non solum seruator est, uerum etiã magister mundi.*

*Ioan. 4.*

nobis demonſtrauit, ſiue, vt Paulino verbo utar, initiauit: Apoſtoli uerò ac cæteri diſcipuli eius, cùm ab ipſo eruditi, tum à Spiritu ſancto illuſtrati, eius iuſſa per uniuerſum orbem terrarum propagarunt. Inſeuerat quidem initio Deus in natura hominis à ſe conditi nonnullam ſui cognitionem, per quam is non ignoraret ſuum & cæterarum omnium rerum conditorem atque moderatorem, et quid ei placeret, quid diſpliceret: quo actiones ſuas vitamque omnem ea quaſi certiſſima quadam regula ad benè beateque uiuendum dirigeret. Verum ea cognitio, poſt uitiatam peccato naturam, obſcurata, ſenſimque obliterata eſt propemodum. Hinc poſtea falſæ religiones ab hominibus excogitatæ extiterunt, quibus non modò uerus rerum omnium opifex, Deus ſecus quàm par eſſet, & quàm ipſe uellet, verũ etiam naturæ quædam longè infra diuinitatem poſitæ, & ad extremum imagines & ſtatuæ mortuorum hominum, atque dæmonum humanis manibus fabricatæ pro dijs colerentur. Non eſt tamẽ paſſus Deus Opti. Max. genus humanum in ijs tenebris penitus conſeneſcere et interire. Non defuere primis illis ſęculis, qui parentum & maiorum ſuorum traditione & moribus informati, ac diuinitus

*Hebre. 10.*

*Religionis ſemina.*

*Falſarum religionum origo.*

*Religio uera retenta à patribus.*

etiam illustrati, rectè solum verum Deum colerent. Quales fuere post diluuium Abraham, Melchisedech, Loth, Isaac, Iacob, Iob, & alij. Nam ante diluuium retentus est tamen publicè vnius veri Dei cultus. Ad extremum vnū sibi delegit populum Deus de posteritate Abrahę, cui per Mosen seruum suum legem tulit, temporarios quosdam colendi sui ritus & vitæ degendæ præcepta continentem, donec instauraret omnia in Christo Filio suo, quemadmodum ab æterno præfiniuerat, veramque ac sempiternam religionē iam non vni populo, sed vniuerso generi humano per eum proderet: cuius quasi seminarium quoddam lex illa continebat. Neque eo contentus, per Prophetas etiam subinde excitatos, mandatisque suis instructos eum ipsum populum, præfractum & ad impietatem prolabentem ad officium reuocabat, & pedetentim à temporariæ illius legis umbris ad promissam ac tenuiter etiam tum deliniatam veræ religionis lucem traducebat: Quæ tandem suo tempore à Christo Domino, Doctore Iustitiæ per Prophetam quendam olim promisso, ac certissimo & fidelissimo Diuinæ voluntatis interprete, vtpote ipso DEI verbo, veroque DEO, cum certa totius generis humani salute prolata

*Legis Mosaicæ finis.*

*Ephes. 1.*

*Christus veræ religionis Doctor.*

*Ioel. 2.*

lata

lata eſt & explicata. Hinc rectè Petrus cum cæteris Apoſtolis ab eo ſibi diſcedendum eſſe negauit, quòd eum verba vitæ æternæ habere diceret. Quæ verba Cyrillus Epiſcopus ac Doctor eximius explicans, ita ſcribit: Hinc etiam diſcimus, vnum ſolummodo Chriſtum ſequendum eſſe Magiſtrum, illi ſoli inhærendum, qui ad vitam æternam deducere poteſt. Sic enim in primogenitorum Eccleſiam ingreſſi, vltima beatitudine perfruemur. Hoc igitur eſt verbum DEI, quo nos, qui à CHRISTO Chriſtiani dicimur, in colendo DEO, & vita ac beatitudine æterna adipiſcenda potiſſimum niti oportet. Quod vocatur etiam Euangelium, hoc eſt, bonus nuncius, quia per id reconciliatio DEI & ſalus generis humano nunciatur. Dicitur & lex Euangelica ab eo ipſo Euangelio: & Chriſtiana à CHRISTO authore: eò quod continet præcepta, quibus ad propoſitam per CHRISTVM DEI gratiam & ſalutem peruenitur. Quomodo autem ea nobis lex atque doctrina, idq́ EVANGELIVM ET VERBVM DEI proditum eſt? Principio in confeſſo eſt, CHRISTVM ipſum Ser-

*Ioannis 6.*

*Cyril. in Ioan. lib 4. cap. 28.*

*Euangelium quid.*

*Lex Euangelica & Chriſtiana.*

Christianam doctrinam uoce traditā esse.

uatorem ac magistrum nostrum, ante mille quingentos annos in mundo inter homines communem uitam degentem, licet propter omnium totius mundi, et omnium sęculorum hominum salutem uenisset, tamen in una tantum orbis terrarum portiuncula, nempe in Iudæa siue Palestina, solos ferè gentiles suos Iudæos paulò plus tribus annis uiua uoce & exemplo suo docuisse: scriptis uerò nihil mandasse. Semel duntaxat legimus eum scripsisse, idq; in terra ac in puluere: quod ilicò uentus difflauit, uel homines pedibus delerũt. Discipulis quoq; suis & Apostolis, hoc est, legatis, quos in uniuersum orbem terrarum dimittebat, non præcepit is, ut aliquid scriberent, sed ut itidem docerent, quemadmodum testificatur Matthæus in Euangelio suo scribens, quòd Dominus Iesus cum resurrexisset ex mortuis, ascendens ad Deum Patrem, sic eis præceperit: Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, docentes eos seruare omnia, quæcunq; mandaui uobis. Etsi autem non verbis modò, sed etiam signis atq; scriptura, sicut iam dixi, docemur, tamen ad sermonem atq; prædicationem Christum id retulisse potissimum, è Marco discimus: qui eiusdem

Ioannis 8.

Matthæi 28.

eiusdem præcepti mentionem faciens, his verbis vtitur: Euntes in mundũ vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Intelligebat nimirum doctor orbis terrarum sapientissimus, atque adeò ipsa Dei virtus, ac Dei sapientia id, quod ne humanarum quidem rerum vel mediocriter periti ignorant: Nullam artem (ne dum eam, quæ sit omnium præstantissima ac difficilima, colendi, inquam, Deum, ac recte viuendi, & ad summam beatitudinem perueniendi, qualis est vniuersa Christi doctrina) literis sine præceptore, vt scribit quidam, & sine aliqua exercitatione percipi posse. Ac proinde non scribendo, verùm docendo ac prædicando eam ipsam siue artem, siue doctrinam omni Creaturæ, hoc est, omnibus totius mundi hominibus à paucis illis, quos ad hoc delegerat, ac itidem non scribendo, sed docendo, tum verbis, tum exemplis suis instituerat, tradi voluit: Et quo id rectius illi & expeditius facere possent, omnium totius mundi non literarum, sed linguarum peritiam cœlitus per spiritum sanctum ipsis infudit. Hoc est Euangelium, quod illi & successores eorum Episcopi & presbyteri vniuerso mundo & omnibus seculis quasi per manus tradiderunt, domino opitulante siue cooperante & sermonem eorũ

*Mar. 16.*

*Cicero in Epist. fam.*

*Euangelium non scriptum.*

*Mar. 16.*

Mar. 16. signis confirmante, ſicut ſcribit Marcus, & Hebr. 2. Paulus ad Hebræos, ſemenq́ꝫ illud doctrinæ ac verbi ſui diuini gratia ſua fouente, vt in cordibus hominum radices ageret, creſceret, fructumq́ꝫ proferret, ſicut per Hieremi-
Hier. 31. am Prophetam pridem promiſerat. Ecce dies venient, dicit dominus, & feriam domui Iſrael, & domui Iuda fœdus nouum: Et paulo poſt: Poſt dies illos, dicit dominus, dabo legem meam in viſceribus eorum, & in cor-
Hebr. 8. de eorum ſcribam eam. Quæ verba Paulus repetit, & ad eandem rem accommodat. Hoc eſt verbum dei viuum & efficax, & penetrantius quouis gladio ancipiti, quemadmodum ſcribit idē Paulus, quo ſolo Eccleſia Chriſti
Hebr. 4. adminiſtrata eſt aliquamdiu, nullum ſcriptum Euangelium, neqꝫ vllā aliam ſcripturam, præter veterē Hebrçorum legem habens. Hoc eſt illud Euangeliū, de quo Paulus ſcribit Corinthijs: Per Euangeliū ego vos genui. Itemq́ꝫ Ti-
2. Tim. 2. motheo: Secundū Euangeliū meū. Nō ſcripſit ſanè Paulus vllum Euangelium: Ne epiſtolam quidem ad Corinthios prius vllam ſcripſerat: Ad Timotheū ſcripſerat q̄dem, ſed in ea nihil eſt eiuſmodi, q̄d hoc loco commemorat à ſe in Euangelio ſuo traditū fuiſſe. Neqꝫ id de Lucæ Euangelio accipiendū eſt, vt volunt nōnulli,
quaſi

quasi Lucas id ex traditiõe atq; doctrina Pauli conscripserit. Ipsemet enim Lucas testatur, se id cõscripsisse ex traditione eorum, q ab initio ipsi viderunt: Hoc est, cum Christo vixerunt: Inter quos Paulus nõ fuit: quod ex actis Apostolorum ab eodem Luca cõscriptis planũ est. De hoc ipso Euãgelio Galatis quoq; idẽ Paulus scribit: Miror quòd sic tam citò trãsferimini ab eo, q, vel qd, vos vocauit in gratiã Christi, in aliud Euangeliũ, quod non est aliud: nisi sunt aliqui, qui vos conturbant, & volunt cõuertere Euangeliũ Christi. Et mox: Si qs vobis Euangelizauerit, pter id, quod accepistis, anathema sit. Hoc Euangeliũ cum ipsis etiã Apostolorum temporibus pseudapostoli quidam et hæretici, quales fuerunt Hymenęus, Alexãder, Ebiõ, Cerinthus, & nõnulli alij adulterare cępissent, nõ tam veteris testamenti scripturis, quibus ipsi plerunq; nitebantur, quàm authoritate atq; traditione eorum, qui Christũ penitius nouerant & audierãt, vel cõsensu eorum, qui secundum Apostolos Ecclesijs præerant, vel deniq; Apostolicorũ virorum miraculis refellebantur. Atq; ea demum erat vera Christi doctrina, verumq; Euangeliũ, quod vel ipsi Apostoli eius, vel eorum, q per eos Ecclesijs præfecti essent, consensus, vel Deus ipse p euidentia

*Luc. in proœm. Euang.*

*Gal. 1.*

*Euãgelij probandi & uindicandi rationes.*

dentia

dentia & humanam virtutem superantia miracula approbasset, siue id veteris testamenti scripturis confirmaretur, siue non. Hinc factũ est, vt Paulus, quamuis Christum cœlitus sibi loquentem audiuisset, tamen ad Ananiam di-
Acto. 9. scipulum ab eo mitteretur, vt inde disceret, q̃d se facere oporteret: Ac ne dubitaret id esse verbum Dei, miraculo curatæ cœcitatis eius, illi Deus fidem astruxit. Idemq; Paulus licet in Paradiso ac tertio cœlo audisset arcana verba,
Gal. 2. tamen, sicut ipse scribit, secundum reuelationẽ ascendit Hierosolymam, & contulit cum illis (Apostolis videlicet, ac cæteris qui Christum audierant) Euangelium, ne fortè in uanũ curreret, aut cucurrisset. Iam cum quidam descendentes de Iudæa docerent gentes, quòd nisi circumciderentur secundum morem Mosis,
Acto. 15. non possent saluari, & Paulus cum Barnaba ipsis aduersaretur, statutum est, vt ea de re ad Apostolos & presbyteros in Hierusalem referretur. Et quod ij communi consensu decreuerunt sine vllis scripturarum testimonijs, acceptum est à Christianis, perinde ac si Christi
Acto. 13. esset doctrina. Porrò cum Sergium Paulum proconsulem à Paulo & Barnaba audientem verbum dei Clymas magus à fide auertere conaretur, miraculo Paulus doctrinam suam cõproba-

probauit,cum eum cæcitate percuſsiſſet. Qua ratione Petrus quoq; diuerſum docēte Simone mago, non ſemel, nec vno in loco vſus eſt, teſte diſcipulo eius Clemente Romano. Ideóq; Petrus Iudæis ad fidem cōuerſis, & zelo quodam verbi Dei ac legis Moſaicę ſecum diſceptantibus, vt eſt in actis Apoſtolorum, non tam viſi & præcepti diuini expoſitione, quàm conſecuti in domo Cornelij miraculi enarratione ſatisfecit, ac verbum eſſe Dei, quamuis non è Chriſti doctrina, neq; è ſcripturis legis diuinę petitum, vt gentiles quoq; in conſortium Euangelij reciperētur, comprobauit. Hęc igitur tunc erant documenta verę Chriſti doctrinæ & verbi Dei, quod non in chartis vel membranis, vel æreis lapideiſue tabulis, ſed in auribus & cordibus hominum Dei digito per Apoſtolos & Apoſtolicos viros ſcribebatur. Nempe teſtimonium Apoſtolicum, prę ſidum Eccleſiæ cōſenſus, & miracula. AVL. At Apoſtoli & Apoſtolici viri iampridem dormierūt: miraculaq; ceſſarunt. MON. In pſeudeuangelicis tuis non iniuria requiras miracula, ſicut heri dixi, qui ſe doctrinam à multis ſeculis ignoratam nunc demum è tenebris proferre gloriantur: Nos verò qui vnà cum maioribus noſtris intra gremium Eccleſiæ catholicæ

*Clem. in lib. recognit.*

*Acto. 11.*

*Euangelium uerum in Eccleſia.*

X nos

nos continemus, idipsum Euangelium, & eam ipsam doctrinā retinemus, quæ ab Apostolis & Apostolicis viris tradita, & innumerabilibus ac stupendis miraculis, consensuq; perpetuo Christianorū populorū atq; conciliorū in spiritu sancto congregatorū cōprobata, p cōtinuatam ad nos vsq; succedentium sibi inuicem ætatum & Sacerdotum traditionē in Ecclesia Christi conseruatur. Hoc igit Euangelio ac verbo Dei nos sine vllis nouis miraculis rectè nitimur. AVL. Inanem igitur scribendi laborē sumpserunt Euangelistę ac cæteri Apostoli? Aut nō vidētur tibi eorū scripta habēda esse p verbo dei? MON. Apage. Mihi verò idē videtur, qd tibi, & oībus verè Christianis: ea item esse germanā & falsi expertem veritatem, & ipsissimum verbum Dei, per eosdem Apostolos ac discipulos Christi spiritu Dei cōscriptū. Sed dubiū nō est, id aliquāto post cum late iam viua voce ppagata esset religio Christiana, factū esse, & nō in hoc factū, vt ijs scripturis omnis Christi doctrina & vera religio cōtineretur & nobis proderetur. Ac Matthæus qdem post octauū, vel, vt alij volūt, duodecimū, vel, vt Irenęus, & eum secutus Eusebius, post vicesimū demū à Christi ascensione annū in Æthiopiā iturus, primus omniū Euangeliū

*Scripturæ sacræ uerbū dei.*

*Euāgelia quādo conscripta sint.*

*Iren. lib. 3. aduers. hæres. Euse. hist. Eccle. li. 5. ca. 8.*

Hebraica

Hebraica lingua conscripsit, Hebræisq; monimēti loco reliquit. Hunc secutus Marcus, Romæ, quæ cum aliis pariter de Petro audiuerat, breui scripto complexus est. Post hunc Lucas scripsit in Græcia, quemadmodum non ipse Christus, quem ille non audiuit, verum discipuli eius tradiderunt. Ad extremum Ioannes, non minus quadraginta, vel sicut alij volunt, amplius sexaginta annis post Christi ascensionem in Asia suum edidit Euangelium. Quæ ita memorant vetusti ac temporibus illis propinqui ac veraces scriptores, Papias Hierapolitanus Episcopus & Martyr, Clemens Alexandrinus doctor insignis, Origenes Adamātius, Eusebius Cæsarien. Episcop. Hieronymus, & alij. Idem existimandū est de Pauli & aliorum Apostolorum Epistolis; eas diuersis tēporibus post prædicatū ac dissemi-natū iam multis in locis & gentibus Euangelium, ad eos, qui Christi fidem atq; doctrinam receperant, scriptas & missas esse. AVL. Quid igitur Euangelistas ad conscribenda Euangelia impulit? Non aliud certè, quàm vt Christi doctrinam omnem consignatā posteris relinquerent. MON. Nequaquam. AVL. Cur igitur scripserunt. MON. Dicam: Quo homines ꝑ se & ꝑ alios Apostolos religione Christiana

*Eus. Eccl. hist. lib. 2. cap. 6. Hiero. de scrip. Eccl.*

*Euangelia cur sint prodita.*

iam imbutos & initiatos, abſentes etiam, literis confirmarent, falſaſq; opiniones, quæ tunc de Chriſto, vel etiam de doctrina eius exoriebantur, vera hiſtoria, & ipſis eius verbis referendis, quoad res poſtulabat, refutarent. Fuit autem neceſſariũ inprimis ad propagandam atq; ſtabiliẽdam Chriſti doctrinam, omni ratione firmare, & in animis hominum penitus infigere, & quaſi fundamẽtum quoddam certum firmumq; omni illi ædificio ſubſternere, qui nam ipſe Chriſtus fuerit, & quid egerit, & cur ei de rebus tantis tamq; à ſenſu & intelligentia humana remotis indubitanter credendum ſit. Atq; ideo Euangeliſtæ non tam doctrinam eius, quæ diligenter paſsim ab ipſis ac cęteris diſcipulis eius docebatur, perſecuti ſunt, quàm proſapiam, ortum, vitam, obitum, reſurrectionem, & miracula conſcripſerunt: Ne ea quidem abſolutè, ſed eatenus, quatenus cuiq; opus erat ad id, quod ſibi propoſuerat.

*Euangeliorum argumenta.*

*Matthæus.*

AVL. Quomodo? MON. Nempe, Matthæus, quoniam Iudæis ſcribebat, volens eis demonſtrare, Ieſum Chriſtum verum eſſe Meſsiam in lege ipſorum promiſſum, genus eius è ſtirpe Dauid & Abrahę deduxit, teſtimoniaq; Prophetarum & argumenta præſtantiæ ac dignitatis eius conſcripſit, ea quæ circa ortum

& obitum eius, quęq; intermedio tempore acciderunt, & miracula ab eo patrata persequẽs: formam verò doctrinæ eius deliniauit verius, quam exquisitè depinxit. Et tamen de his ipsis etiam, quæ sibi proposuerat describenda, multa prętermisit, quæ extant apud alios Euangelistas. Quod Epiphanius quoq; antiquus & illustris scriptor atq; Episcopus commemorat. *Epiph. contra hæres. lib. 2. to. 1.* Marcus, quoniam non Iudæis scribebat, verum ethnicis, qui de Messia promissionem nõ habebant, doctrinam tamen Christi suscipiebant, omissis incunabulis eius, à baptismo ac testimonio Ioannis orsus est, nec ferè quicquã præter miracula Christi, diuinitatis eius documenta, persecutus est, quò maiorem Romani fidem haberent eius doctrinæ, quã crebro Petro concionante audiebant. *Marcus.* Lucas cum vtrũq; hoc Euangelium vidisset, historiã ortus Christi, quæ à Matthæo & Marco prætermissa erat, diligentius exposuit, ne Christiani Iudaicas fabulas, vel hæreticorum cõmenta & nęnias in eo sequerentur. *Lucas.* Ad hæc, quid is ipse Christus in terris degens egerit, & quomodo docuerit, & quæ circa mortem & statim post resurrectionem eius acciderint, luculentius is, quàm superiores duo attexuit, ne ea quidem ommittens ferè, quæ illi iam conscripserant.

Euangelistæ tres, tertij tãtum anni acta Christi conscripserunt. Euseb. Histor. Eccle. lib. 3. capite 24. Quoniam autem omnes hi tres ea modo persecuti sunt, sicut apparet è scriptis ipsorum, & attestatur Eusebius, quæ Christus tertio demum anno, ex quo docere cœperat, egit, & quoniam exorti erant Ebion & Cerinthus hæretici, qui Christum hominem tantùm & Prophetam sanctum, sicut etiam nunc Turcæ & Saraceni sentiunt, ac non Deum, esse asseuerabant, eum errorem vt tolleret, & quod in cæteris requirebatur vt suppleret Ioannes, rogatu Christianorum in Asia Euangelium suum longè pòst, quemadmodum audiuisti dudum, conscripsit, à baptismo Ioannis orsus. In quo & ipso tamen non multum extat doctrinæ Christi, præter, quæ is duobus sermonibus, altero cum Iudæis in templo, altero cum Apostolis in vltima cæna disseruit, ad suam ipsius ac Spiritus Sancti Diuinitatem comprobandam, amoremq; mutuum & concordiam inter Discipulos stabiliendam pertinentia. Vnde perspicuum est, Ioanni ac cæteris Euangelistis hoc in primis fuisse propositum, qui fuerit, & quid in mundo egerit IESVS, ac non quid docuerit, describere. Tametsi ne quæ egit quidem omnia descripserunt, sed ea modo, quæ faciebant potissimum ad adstruendam ipsi fidem: sicut ipsemet Ioannes

Ioannes.

testifica-

testificatur, ita scribens: Multa quidem & alia signa fecit Iesus in conspectu Discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc; Hæc autem scripta sunt, vt credatis, quia Iesus est Christus, Filius Dei, & vt credentes vitam habeatis in nomine eius. AVL. Hæc Ioannes de suo tantum Euangelio scripsit, qui non omnia acta, neq; omnem doctrinam Christi, quemadmodum tu ipse fateris, conscripsit: Ac ne cæterorum quidem Euangelistarũ vnus quispiam id præstitit: verum omnes eam pariter complexi sunt, Spiritu sancto id agente, vt quod vnus prætermiserat, alius repleret. MON. Ita quidem est, quod alius ab alio prætermissa repleuit, quemadmodum & ego dudum dixi: sed in eo tantum, quod quilibet eorum sibi proposuerat: nimirum in actis Christi enarrandis demonstrantes, eum esse MESSIAM in lege promissum, & Liberatorem ac Doctorem totius mundi, verum DEVM & hominem, quidq; is egerit, & quid perpessus sit verè, & non per vim adactus, sed vltro & volens: Quo alacrius Iudæi et Ethnici ea legentes, doctrinam eius, quę in vniuerso orbe terrarũ per Apostolos viua voce disseminabat, amplecterentur, tenaciusq; retinerent. Verum est & illud, de suo Euangelio

*Ioannis 20.*

*Euangelistarum proposi-tum.*

gelio

gelio Ioannem ſcripſiſſe, non omnia in eo libro ſcripta eſſe, quæ Ieſus fecit: ſed illud quoque perpende, quod addit idem: Quòd ſi omnia ſcribantur, mundus ipſe nõ poſſet capere eos, qui ſcribendi eſſent, libros, tantum abeſt, vt ea quatuor hiſce Euangeliorum libris, quos perbreues habemus, comprehenſa ſint. Ac ſi maximè à Ioanne ſcriptum hoc non fuiſſet, tamen res ipſa indicat, Chriſtum dominum, qui non ob aliud in mundum venerat, quàm vt quæreret ſaluumque faceret quod perierat, tribus annis amplius aſsiduo iam turbis publicè, iam priuatim ſolis Apoſtolis concionantem, aliquanto plura locutum eſſe, quàm Euangeliſtę conſcripſerunt: qui pauculas modo quaſdam cõciones eius eaſque ferè parabolicas, & ad cõgregandam magis, quàm informandam & gubernandam Eccleſiam pertinentes, deſcripſerunt, atque id per quàm breuiter. Ipſe verò de ſe teſtificatur: Semper ſe docuiſſe in ſynagoga & in templo, quo omnes Iudęi conueniebant. Et apud Matthæum: Quotidie ſedebã apud vos in templo docens. Certè non ſemper idem repetebat. Ea verò quæ ſunt ab Euangeliſtis cõſcripta, vnica concione potuit enarrare, vel tunc ſanè, cum in deſerto per totum diem multa docuit turbam, quemadmodũ ſcribit Marcus,

*Chriſti doctrinam non omnẽ conſcriptam eſſe ab Euangeliſtis.*

*Ioan. 18.*

*Matth. 26.*

cus, veſperi autem quinq; panibus ac duobus Mar. 6.
piſcibus eam ſatiauit: Aut illo triduo dunta- Matth. 15.
xat, quando quatuor millia virorum præter Mar. 8.
paruulos & mulieres, ſeptem panibus & paucis
piſciculis ſaturauit. Non toleraſſent ij ſanè
tamdiu famem & multa alia incommoda, ſi
Chriſtus eadem ſubinde repetiuiſſet: Nec ſine Matth. 7.
graui cauſa Iudæi tantopere admirati ſunt do- Mar. 6.
ctrinam eius & ſapientiam, ſicut prodiderunt
ijdem Matthæus & Marcus: Et tamen ibi nihil
propemodum, aut certè paucula quædam
ij commemorant, quæ ille tunc docuerit. Atq;
ita non vniuerſa doctrina Chriſti quatuor his
Euangelijs deſcripta eſt: Quod ex illo quoq;
planum fit, quod in actis Apoſtolorum ſcriptum
eſt: Paulum, cum apud Mileſios haberet Acto. 20.
ſermonem, monuiſſe eos, vt meminiſſent verbi
domini Ieſu: quod ipſe dixerit: Beatius eſſe
dare, quàm accipere. Apud quem autem quæſo
Euangeliſtam hoc ſcriptum extat? Aut verò
illa veteris teſtamenti ſcripturarum interpretatio,
res, ſi qua alia, maximè neceſſaria, cuius
mētionem facit idem Lucas in Euangelio: Luc. 24.
quòd dominus Ieſus cum reſurrexiſſet à mortuis,
duobus illis diſcipulis Emauntem euntibus
interpretabatur in omnibus ſcripturis,
quæ de ipſo erant, incipiens à Moyſe & om-

nibus Prophetis? Aut illud etiam, quod idem scribit in actis Apostolorũ, ꝙ Christus post passionem suam apparuit discipulis suis per dies quadraginta, loquens de regno Dei? Vbi quæso extant ij sermones, ac doctrina? A quo Euangelista ea conscripta est? A quo nam autem illud, quod scribit Paulus, Christũ, cum resurrexisset à mortuis, visũ esse Cephæ, deinde plusquã quingentis fratribus simul, deinde Iacobo, deinde Apostolis omnibus? AVL. At ea, quæ Euangelistæ prætermiserunt, Paulus, Petrus, alijꝗ Apostoli in Epistolis & scriptis suis suppleuerunt. MON. Vnde hoc deprehendi potest? Certe è scriptis ipsorum id non apparet: præter, quæ Lucas in actis Apostolorum Christum dominum iamiam ascensurum in cœlum, ad discipulos suos locutum esse memorat, & quæ scribit Paulus Corinthijs de vsu donorum spiritualium, & officio mulierum in Ecclesia ea domini esse mandata: Et quod idem dixit, quemadmodum à me dudum commemoratum est, Mileti sermonem habens. Alibi nusquam eiusmodi quicquam extat, quod quidem ego meminerim. Atꝙ hæc quoꝙ illi obiter, oblata magis, quàm quæsita scriptis suis inseruere. Nec sanè id propositum habuere cum scriberent,

*Acto. 1.*
*Apostoli non suppleuerunt prætermissa ab Euangelistis.*
*1. Cor. 15.*
*Acto. 1.*
*1. Cor. 14.*
*Acto. 20.*

berent, vt prætermissa ab Euangelistis persequerentur, doctrinamque Christi ad amussim conscriberent, verum vt absentes quosdam cœtus hominum, siue etiam singulos homines, credentes iam in Christum, doctrinamque eius tenentes, pro re nata confirmarent, commonefacerent, consolarentur, aduersus impendentia pericula præmunirent, corrigerent, administrationis nascentium etiam tunc Ecclesiarum fundamenta iacerent, errores atque dubitationes tunc subnascentes extirparent. Quod quidem è scriptis eorum planum fit ac perspicuum. Vis ne autem explicatius id tibi ostendam? AVL. Maximè. MON. Principio acta Apostolorũ, quæ Lucas Theophilo cuidam scripsit, qd in se cõtineant, ipse titulus indicat. Tametsi ea quoque, quæ per Apostolos post ascensionem Christi acta sunt, obiter & modicè attingit. Vbi verò ad conuersionem Pauli ventum est, nihil ferè aliud, quàm peregrinationes & successus eius solius persequitur, cæterorum actis omissis. Paulus quatuordecim scripsit Epistolas: Ad Romanos vnã, ad Corinthios duas, ad Galatas, Ephesios, Philippẽses, Colossẽ: singulas, ad Thessaloniceñ: duas, totidẽ ad Tim: ad Titũ, Philemonẽ, & Hebræos itẽ singulas. Quid igit scribit in hisce epistolis?

*Apostolicarũ scripturarum causæ & argumenta.*

*Actorũ Apostolorum argumentum.*

*Pauli epistolarum numerus & ordo.*

Ad Romanos. lis Romanis, ne potentia sapientiaq; humana turgentes, oblatam ex Iudæa salutarem doctrinã aspernarẽtur, lapsum, & inde consecutã miseriam & cæcitatem totius generis humani ob oculos ponit, fastumq; & arrogantiam eorum, simulq; Iudęorum supercilium ex dignatione ac promissis dei existens, & ethnicos offendens, deprimit: demonstratoq; communis liberatoris ac seruatoris Christi beneficio, ad pœnitentiam & fiduciam clementiæ ac misericordię Dei per eum ipsum Christum comparatę, eos excitat, nec non ad honestam piamq; vitam, ad obedientiam, & obseruantiam principũ ac magistratuum, & ad vitanda quorumuis hominum offendicula cohortatur.

Ad Corinth. prior. Corinthios priore Epistola reuocat à dissensionibus, arrogantia, & libidinibus, docetq; quomodo sese gerere debeant aduersus delinquentes, & circa iudicia litesq;, quæ inter eos suboriebantur. Respondet etiam ad quæstiones ab ipsis propositas de matrimonio, continentia, & vsu earum carnium, quæ idolis immolabantur: Perq; eam occasionem etiam de aliis quibusdam actionibus exterioribus, velut de ratione precationum, communionis mysticæ, siue cænę dominicæ, & vsu spiritualium Dei donorum præscribit, quomodo

modo se in publico & in Ecclesia gerere debeant, exemplo gratuiti ministerij sui ad gloriã Dei & vtilitatem proximi, mutuamq; concordiam spectantes. Ad extremum de resurrectione à morte eos confirmat, & ad beneficentiam in egenos inuitat. Posteriore verò posteaquam excusauit, cur ad eos non venerit, sicut erat pollicitus, consolatur eos, quos graui obiurgatione in priore contristauerat, & ad honestatem vitæ & subleuationem egenorũ eos adhortatur: postremo increpat eos, qui de se non rectè sentiebant, potestatem & authoritatem Apostolicam, ac dignitatem suam demõstrans. Galatas obiurgat, quod à religione Christiana ad ceremonias legis retrahi se patiebantur: demonstrans eam esse imperfectam & ad tempus datam: fidei verò ac doctrinæ Christianæ perfectionem & vtilitatem exponens: Deinde ad vitam spiritualem & officia mutua eos cohortatur, fructus spiritus & his aduersa opera carnis enumerans. Ephesios fideles confirmat in fide, admonens beneficiorũ Christi, suæq; functionis & vinculorum: & ad concordiam, emendationem, honestatem, & ad sua quenq; officia vitæ, denique ad mansuetudinem, constantiam, & vigilantiam eos excitat. Philippensibus scribens de statu rerũ

Posterior.

Ad Galat.

Ad Ephesios.

Ad Philipp.

suarum, suoq; erga ipsos studio, cõsolatur eos, & ad concordiam & modestiam siue humilitatem cohortatur, & vt à Iudæis sibi caueant, se verò imitentur, monet. Ad extremum gratias ipsis agit de subsidio misso. Colossenses item confirmat in fide, quã aliunde iam susceperãt, & aduersus hypocriticã sanctimoniã doctrinamq; præmunit. Ad hæc, genera quædã hominum, quomodo se in societate vitę gerere debeant, obiter admonet. Thessalonicenses item priore Epistola cõfirmat, & ad tolerantiã aduersorũ erigit, cõmemorans officiũ suum & charitatem erga ipsos: & ab impuritate vitæ & ocio, ad sanctimoniam, vigilantiam, & alias virtutes eos reuocat: Deniq; spem & fidem resurrectionis à mortuis stabilit. Posteriore itidem eos consolatur & confirmat, admonẽs, ne se patiantur seduci ab ijs, qui aduentum domini ad iudicium instare, è scriptis & sermonibus suis perperã intellectis occasione erroris accepta, docebãt: docetq; quales esse debeant aduersus delinquentes, præsertim ociosos. Timotheũ Episcopũ obiť docet, quomodo is vitã suam instituere, & gregẽ siue Ecclesiam sibi cõmissam administrare ac regere, prauis dogmatibus suppullulantibus obsistere, cultus diuini curã habere, presbyteros & alios ministros

*Ad Colossenses.* *Ad Thessalonicen. prima.* *Posterior.* *Ad Timotheũ prior.*

ministros Ecclesiæ deligere & instituere, & aduersus quædam genera hominum gerere sese debeat. Hæc priore Epistola: Posteriore itidem eum officij admonet, futura pericula è prauis dogmatibus exoritura prædicens. Ad Titum scribens, itidem obiter quædam attingit, quæ ad munus Episcopi pertinent circa delectum ministrorum Ecclesiæ, doctrinã, admonitionẽ, & correctionẽ populi, prauorũq; dogmatum deuitationem atq; propulsationem; gratiamq; & beneficentiam Dei erga homines modicè cõmemorat. Philemonẽ rogat ꝓ seruo fugitiuo Onesimo, vt ei peccatũ & offensam condonet. Hebræos credentes qdem in dominum nostrum Iesum Christum, sed ad legem tamen suam respectantes, cohortatur ad constantiam fidei, proprijs ipsorum scripturis demonstrans diuinitatem Christi, ac dignitatem Sacerdotij, perfectionemq; sacrificij ac legis ipsius, Mosaicæ verò legis imperfectionem: nimirum quòd ea peccata delere, & iram Dei placare non potuerit, sed ad dominum Iesum Christum, promissum à Deo Messiam & seruatorem, viam cõmonstrarit, ritibusq; ac cæremonijs suis omnibus dispensationem & functionem eius omnem, & satisfactionẽ pro peccatis hominum repræsentarit. Posterior. Ad Titum. Ad Philemonem. Ad Hebræos.

Ad extremũ, fidei dignitatem & antiquitatē commendat, & ad tolerantiam, obedientiam, & imitationem præſidum ſiue præpoſitorum Eccleſiæ & ad alias virtutes eos cohortatur. Hæc ferè Paulus. Sunt præterea ſeptem aliorum Apoſtolorum Epiſtolæ, quæ Canonicę & Catholicæ appellantur: Iacobi vna: Petri duæ: tres Ioannis: Iudæ vna. Ac Iacobus quidem Iudæos ad fidem conuerſos breuiter cōmonefacit, quomodo vitam degere, fidemq́ honeſtis & pijs actionibus ornare, & viuam repræſentare: quid item vitare, & quid expectare ſeu ſperare debeant. Petrus quoq; priore Epiſtola eoſdem Hebræos per nonnullas regiones diſperſos conſolans & confirmans, ad pœnitentiam, ſanctimoniam, & cōditioni cuiuſq; congruentem vitam ſpe pręmij propoſita adhortatur: Poſteriore idē facit: & vt à prauis doctrinis ac hæreſibus, quæ multæ exorituræ erant, ſibi caueant, præmonet: & quomodo cognoſcēdi ſint tales peruerſi doctores oſtēdit. Ioannes charitatis virtutem & præſtantiam prædicans, prima quidem Epiſtola cunctos vniuerſè, ſecunda matronam quandam, tertia verò Caium ad amorem dei, & cùm hominibus mutuum, & ad rectam doctrinam retinendam, prauam verò cauendam, peccataq; vitan-

*Iacobi.* *Petri prior.* *Poſterior.* *Ioannis 3. Epiſtolæ.*

vitanda hortatur: ac spem credentium confirmat. Iudas Thaddæus paruam scripsit Epistolam, nec aliud agit, quàm falsos & peruersos Doctores siue Hæreticos depingit, ad cautionem Christianorum. Scripsit etiam Ioannes Apocalypsim: Quid autem habet in ea propositum? Ipse indicat statim à principio sic scribens: Apocalysis Iesu Christi, quam dedit illi Deus, palam facere seruis suis, quæ oportet fieri citò, & significauit mittens per angelum suum seruo suo Ioanni. Ea verò ille non curiosè aut iactanter, verum ad constantiam & bonam spem Christianorum confirmandam conscripsit. Vides iam, neque Euangelistas, neque ceteros Apostolos eo proposito scripsisse, vt vniuersam Christi doctrinam ac verbum Dei scriptis suis complecterentur. AVL. At ea complexi sunt, quæcunque nobis sunt ad salutem adipiscendam necessaria. MON. Atqui si hoc ita esset, vt tu dicis, fieret, vt discipuli essent supra Magistrum, quod est contra Christi ipsius verbum. Ac vt maximè inter homines vsu venire possit, vt Discipulus Magistro sit præstantior, homo tamen Deo comparari non potest; quemadmodum ait Hiob, etiam cum perfectæ fuerit scientiæ: tantum abest, vt anteire eum queat. Aut certè existimare nos

*Iudæ.* *Apocalypsis Ioannis.* *Lucæ 6.* *Hiob 22.*

oporteret, non à Deo nobis esse traditam religionem nostrã Christianam. AVL. Quid ita? MON. Quia testificatur Moses, opera dei perfecta esse. Quod si Christus superuacaneum quippiam docuisset, non esset absolutus magister: Atque ita ne Deus quidem. In ijs enim quæ perfecta sunt, neque deest quicquam, neque superest. Perfectum enim id est, cui nec addi, nec detrahi quicquã potest. Hinc & Cyrillus ita scribit: Nihil enim frustra, nihil superuacaneum Christus vnquã diceret. Igitur ne cogitare quidem te oportet, Euangelistas & cæteros Apostolos eam tantum doctrinam scriptis mandasse, quæ fuerit ad salutem nostram necessaria, minus autem necessariam prætermisisse, & magis probè eos intellexisse, quid esset necessarium, quid non, quàm ipsum Dei filium. Iam aũt demonstratum est, neque Euangelistas omnem Christi doctrinam cõscripsisse, & cæteris Apostolis in scribendo quiduis aliud fuisse propositum, quàm vt prætermissa ab illis persequerentur. Sed vt maxime omnia quæcunque Christus docuit, omnes cõplexi essent nihil prætermittentes, nec dum tamẽ vniuersa religio Christiana eorum scriptis contineretur. Etenim Christus quoad in terris vixit, nõ omnia quæ erant necessaria discipulos suos

*Deut. 32.*

*Perfectum quid.*

*Cyril. in Ioan. lib. 9. cap. 34*

*Christum non omnia per se docuisse.*

suos docuit. A VL. Pugnantia loqueris. Dudũ dixisti, religionem Christianã perfectam esse: Et est id verissimum: Nunc uerò ais, Christũ, à quo ea nomen habet, nõ omnia quæ erant necessaria docuisse. MO. Non pugnant hæc inter se, verùm congruunt: Christianã religionẽ absolutã esse, nec tamen Christi solius ea, quã in terris vitam degens tradidit, doctrina comprehendi. Quod quidem ex eo conijci potest, quod scribit Paulus ad Hebræos de salute, hoc est, salutari doctrina, eã initiũ enarrandi à dño accepisse, ab eis verò, q audierunt, in nos cõfirmatam esse. Non quòd ille nõ fuerit absolutus magister, aut inuiderit absolutã doctrinam ijs, quos sibi delegit ac dilexit: Sed quòd ij tunc adhuc eius doctrinæ capaces nõ essent. Et hoc .n. diligentis & absoluti magistri est, non omnia simul & aceruatim, sed particulatim docere, & vt ait Cyrillus, non transcurrere, neq; altiora prius menti auditorũ ingerere, q̃ priora cognouerint. Ita Paulus quoq; magistrũ imitatus, erga Corinthios Hebræosq; se gessit, sicut ipse memorat, & ego fortassis alibi recitabo. Visne autem videre, Apostolos etiam siue discipulos Christi, cũ eos ille doceret, doctrinæ eius vniuersæ capaces non fuisse? Ecce

*Hebr. 2.*

*Docendi recta ratio.*

*Cyril. in Ioan. lib. 2. ca. 135.*

*1. Cor. 13. Hebr. 5.*

*Apostolorum ruditas.*

Matthei 15. tibi apud Matthæum, cum eis Dominus diceret: Non quod intrat in os coinquinat hominem: rogabant eum, vt sibi edissereret eam parabolam. Respondet autem ille eis: Adhuc & vos sine intellectu estis? Lucas item commemorans, quomodo eis Dominus passionem et resurrectionem suam prænunciarit: Et ipsi, inquit, nihil horum intellexerunt. Ioannes quoque memorans illud, quomodo Christus asina Hierosolymam inuectus est, deque eo longè antè per Prophetam prænunciatum fuisse, ait, Discipulos hæc initio non intellexisse. Lucas etiam scribit, quòd post resurrectionem Dominus Iesus aperuit eis sensum, vt intelligeret scripturas: Nihilominus tamen Marcus scribit, eum iamiam discessurum ab eis, & ascensurum in cœlum, exprobrasse eis incredulitatem ac duritiam cordis. Igitur non potuit eos Christus, dum in terris fuit, omnia docere: non quòd ipse perfectus Magister non esset, sed potius quòd perfectus non ignoraret, quantulum illi per inscitiam & ruditatem suam capere possent: Quod quidem ipse iam ad mortem transiens eis indicauit: Expedit, inquit, vobis vt ego abeam. Nisi enim abiero, paracletus non veniet ad vos. Et paucis interiectis, in quem vsum id expediret, ostendit, dicens:

Luce 18.

Ioannis 12.

Luce 24.

Marci 16.

Ioannis 16.

Apostoli docti à Spiritu sancto.

dicens: Adhuc multa vobis habeo dicere, sed non potestis portare modò. E quibus verbis colligitur, ea magni momenti, difficilia, & necessaria fuisse. AVL. Et tamen idem dixit: Omnia quæ audiuisset à Patre, se eis nota fecisse. MON. Verum, Omnia quidem eis nota fecit, sed vniuersè & in genere, & quasi per transennam, vt solent mercatores merces suas exponere. Exquisitiorem autem explicationem in aliud tempus seruauit. Vel certè more Prophetarum, perinde dicebat, ac si iam fecisset, quod etiam tunc faciebat, & cumulatius etiam postea facturus erat: Et quoniam ab eis discedebat, non prætermisit, quin ipsis indicaret, quomodo id facturus esset. Subiecit enim ibidem apud Iohannem: Si autem abiero, mittam eum ad vos: nempe paracletum. Et mox addit: Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem: Ille me clarificabit, quia de meo accipiet. Idq; mox post quinquagesimum diem factum est die pentecostes, quando repleti sunt omnes spiritu sancto. AVL. Ibi igitur perdidicerunt ea, quæ à Christo non satis intellexerant, vel omnino non didicerant, eaq; omnia post ad nostram doctrinam cōscripserunt. MON. Est ita, quod didicerunt ij omnia de Spiritu sancto, Paulus

Ioannis 15.

Galat. 1. autem, qui inter eos tunc non erat, cælitus & ipse postea p̄ reuelationem Iesu Christi, quemadmodum ipse profitetur, instructus est: verū neq; id cōsectati sunt in scribendo, vt omnem Christi doctrinam cōplecterentur, quod ego iam probaui, neq; præstiterunt omnino, sicut

Dogmata non scripta. res ipsa testatur. Sunt enim nō pauca dogmata & instituta ad religionem & salutem hominū pertinentia, quæ neq; ab Euangelista, neq; ab Apostolo vllo scriptis mandata sunt. Qualia sunt, Deum esse principij expertem & immortalem: Christum de Mariæ virginis sanguine carnem sumpsisse, ac Deum simul & hominem natū esse, & in vna p̄sona duas naturas, duasq; voluntates retinuisse. Eiusdem modi etiā sunt, Christi ipsius Dei, & hominis, & spiritus sancti adoratio & inuocatio, vnius Dei in tribus personis vna essentia, baptismus infantium, & alia complura, quæ nunc ommitto: Quæ vniuersus per omnem orbem terrarum Christianorū cœtus iam inde ab initio in hunc vsq; diē summo cōsensu & cōstantia retinet atq; cōser-

1. Cor. 14. uat: Quæ, q̄ ignorare vult, ignorabitur. Cum autem in scriptura sacra nulla, expressa duntaxat, eorum fiat mentio, cur ea recipimus, constanterq; retinemus, & maiores nostri semper amplexi sunt, & retinuere, nō secus quam

ipsum

ipſum Euangeliũ ac verbum Dei: cur ijdẽ eos, qui in controuerſiam ea reuocabant, Marcionem, Valentinum, Sabellium, Arrium, Macedonium, Eunomiũ, Neſtorium, Eutychen, & Sectatores eorum pro hereticis & Chriſti doctrinæ aduerſarijs habuere. Nec nos aliter ſentimus? Non ob aliud ſanè, quàm quod ea ſic è doctrina atq; traditione Apoſtolorũ accepta pro Chriſti doctrina ac verbo Dei habemus. Quanq; etiã ſi Apoſtoli ea ex doctrina Chriſti nõ hauſiſſet, nihilo ſeci⁹ tamẽ amplecti ea nos par eſſet, quàm ipſa Chriſti verba doctrinãq;. Quia ſicut ipſum miſit Deus pater, ita ipſe quoq; miſit Apoſtolos, quemadmodũ ipſemet apud Ioannẽ teſtificatur. Et ut authoritatẽ eorum fidemq; ſtabiliret, dixit eis; Qui vos audit, me audit: & q vos ſpernit, me ſpernit: Qui aũt me ſpernit, ſpernit eũ, qui miſit me: hoc eſt, Deum patrem. Audis, quod hic non præfinit eis, qui vos audit, aut qui vos ſpernit, in eo ſcilicet, quod ex me audiuiſtis: Sed nihil plane excipiendo, qui vos audit, &, qui vos ſpernit. Et: Sicut me miſit pater, ſic et ego mitto vos: nempe cum plena poteſtate. Ipſe enim de ſe dixit: Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra. Illis itidem dedit poteſtatem, vt quicquid ligauerint, vel ſoluerint ſuper terram, ligatum

*Apoſtolos potuiſſe docere ac docuiſſe plura, quàm à Chriſto didicerant.*

*Ioannis 20.*

*Lucæ 10.*

*Ioannis 20.*

*Matthei 28.*

*Matthei 18.*

tum vel solutum sit etiam in cœlo. Ne verò quisquam dubitaret, quasi illi in rebus tantis tantiq; momenti minus conuenienter præter

*Actorum 4.* voluntatem Domini quippiam attentarent, videns conditionē ipsorum quòd essent viles & indocti homines ac piscatores, statim post

*Ioannis 20.* missionē illam, scribit Ioannes, insufflasse ipsū in eos, & dixisse: Accipite Spiritum sanctum. Quem Spiritum sanctum? Eum, quem ipse eis promiserat, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit. Quasi diceret: Mihi, qui sum veritas & à Deo Patre missus in mundum veni, sapientia & potestate parem: qui vos docebit omnem veritatem. Ac ne quis hoc fortè de ea modo veritate, quam ipse Christus eos docuerat, acciperet, quod probabiliter accipi potuit ex illis verbis, quæ paulò antè locutus e-

*Ioannis 14.* rat: Ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcunq; dixi vobis: præcauit id dicens: Adhuc multa habeo vobis dicere, sed nō potestis portare modò. Et mox adiecit: Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem: Intellige, quam ex me nondum addidicistis. Et volens ostendere, illam doctrinam Spiritus sancti à sua diuersam non fore, addidit: Non enim loquetur à semet ipso, sed quæcunq; audiet, loquetur: & quæ ventu-

ventura sunt annunciabit vobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis. En habes diploma Christi, quo is Apostolis, hoc est, legatis suis fidem astruit cũ plena & libera potestate. Eo igitur fretus, perinde fidem habere debes legatis, atq; ipsi domino, à quo sunt missi: Nec minus apud te pondus habeat, quicquid Apostoli, siue scripto, siue sine scripto nobis prodiderũt, quàm id, quod ipse dominus docuit, & Euangelistæ conscripserũt, quandoquidem is dedit eis eandem claritatem, quam ipse à patre habet, quemadmodũ ipse apud eundem Ioannem affirmat: Apud Marcum verò ait, non ipsos esse qui loquantur, sed spiritum sanctum. Cuius rei ipsi sibi probè cõscij fuerunt. Atq; ideo quoties Christi doctrina deficiebat, magna fiducia & authoritate præscribebant Christianis, quæ sequerentur, quæq; vitarent. Velut cum exorta esset Hierosolymis controuersia inter Iudæos & ethnicos, ad fidẽ Christi cõuersos, an oporteret ethnicos, fidem & religionẽ Christianam amplexos, seruare ritus ac cæremonias legis Mosaicæ, decreuerunt Apostoli, quid eos in hac parte sequi oporteret. Vnde autem decretum id petitum est? Ex Euangelio ac doctrina Christi? Nequaquam. Quod si quid eiusmodi

*Apostolicæ doctrineæ authoritas.*

*Ioan. 17.*

*Mar. 13.*

*Act. 15.*

illi de Christo didicissent, non dissimulassent ꝓcul dubio. Magnum certè pondus apud fideles habitura erat eius authoritas. Non sic tamen illi: sed ita rescribunt Antiochenis: Visum est spiritui sancto & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria. Spiritus sancti mentionē faciunt, vt homines illi, qui spiritum sanctū Deum esse cognouerant, scripto ac decreto illi fidem haberent, perinde ac verbo Dei, & Christi ipsius Euangelio. Nec permittunt ipsorum arbitrio vtrum ea sic seruare velint, nec ne, ex liberrima, vt isti vestri dicere solent, disciplina Ecclesiæ: sed velut necessaria præcipiūt. AVL. Verum hoc est tamen in scriptura, & in actis Apostolorum. MON. Est: At etiamsi non esset, nihilominus tamen credere nos oporteret, sicut crediderūt
Acto. 16. aliæ ciuitates, q̄bus Paulus & Silas tradebant custodire ea ipsa dogmata, q̄ erant decreta ab Apostolis & senioribus, quemadmodum ibidem scribit Lucas. Vbi aūt q̄so extat quicquā
Acto. 6. in Euangelio de Diaconis? Et tamen eos Apostoli, nō quasi ex instituto ac doctrina Christi, sed authoritate sua instituerunt, & vniuersa Christi Ecclesia ꝑ omne tēpus in hanc vsq; diem retinet. Verum de eo quoq; in ijsdem actis scriptum est. Vbi autē scriptū est, qualia præcepta

cepta Paulus Corinthijs dederit, quorum facit mentionē in priore ad ipſos Epiſtola, ita ſcribens: Laudo vos fratres, quod p oīa mei memores eſtis, & ſicut tradidi vobis, pcepta mea tenetis. Nullū vſquā extat argumentū, q̄ colligi queat, eum quippiam ad eos prius ſcripſiſſe, vbi præcepta illa contineantur: Ac non de ſcriptis præceptis eum loqui (tradendi) verbum indicat. Ibidem autem cum per Epiſtolam præcepiſſet id, quod nuſquam eſt in Euangelio, quomodo videlicet ſeſe gerere debeant circa cœnam domini, ſiue communionem corporis & ſanguinis eius, adſcripſit: Cætera cum venero diſponam. Quomodo autem diſpoſuerit, nuſquam quicquam ſcriptum comperimus. Credimus tamen ea non leuia & reiectanea fuiſſe quæ promiſit. Non temerè enim de ſe ſcribit alibi: Puto quòd & ego ſpiritū Dei habeam, Nec dici poteſt, quod è doctrina Chriſti ea q̄ ſe diſpoſiturū pmittebat, petitur9 fuerit. Nihil.n. extat ea de re apud Euangeliſtas, quod ipſe eo loco prętermiſerit. Quin adiecit is etiā de ſuo illa: Nunqd non habetis domos &c̄. Et: Probet autem ſeipſum homo. Ne illa quidem vſquam in ſacra ſcriptura extant, quorum idem Paulus mentionem facit

1. Cor. 11.

1. Cor. 7.

2. Tim. 2. ad Timotheũ ſcribens: Et quę audiſti à me per multos teſtes, hæc cõmenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere. E quibus verbis deprehendere potes, non modò non omnia, quę ad fidem & inſtituta religionis noſtræ Chriſtianę pertinent, cõſcripta eſſe, verũ etiam viua voce, & per traditionem ſuccedentium ſibi inuicem idoneorũ hominũ, hoc eſt, Epiſcoporum & presbyterorũ (vt ex eo ipſo Paulo ad eũdem Timotheũ, & ad Titum ſcribente conſtat) potius quàm per ſcripturam Apoſtolum ea tradi & conſeruari in Eccleſia voluiſſe. Non enim ſcribit: hæc cõmenda ſcriptis, ſed fidelibus hominibus: Nec ĳs, qui legere, vel ſcribere, verum qui docere alios erunt idonei. Vbi autem in ſcripturis extant inſtituta illa, ſiue traditiones, quas idem Paulus ſcri-
1. Theſſ. 4. bit Theſſalonicenſes à ſe accepiſſe? Ac ne cuiquã leues & arbitrarię eſſe videantur, addit, ꝑ eas ipſos deo placere oportere. Ne qs verò dubitet, de non ſcriptis traditionibus eum agere, poſteriore ad eoſdem Theſſalonicenſes Epiſtola ipſemet tollit hunc ſcrupulum, ita ſcri-
2. Theſſ. 2. bens: Itaq; fratres ſtate, & tenete traditiones, quas didiciſtis ſiue per ſermonẽ, ſiue per Epiſtolam noſtram. En exęquat ſcripturæ inſtituta per ſermonem à ſe tradita. Nec id ſatis eſt:

verum

verum sequenti capite eijcit etiam ex Ecclesia eos, qui eiusmodi instituta siue traditiones qui contempserint, idq́ non sua libidine, sed diuina domini nostri Iesu Christi authoritate facere se profitetur. Sic enim scribit: Denunciamus autem vobis fratres in nomine domini nostri Iesu Christi, vt subtrahatis vos âb omni fratre ambulante inordinatè, & non secundum traditionem, quam acceperunt à nobis. Vides, quàm seuerè animaduertat in transgressores traditionis suæ. Proinde non modo ea, quę Euangelistę quæúe cęteri Apostoli, cũ sermonibus Christi didicissent, scriptis mandarunt, sed etiã quęcunq́ ipsi ex se, seu scriptis, seu sine scriptis Ecclesiæ Dei præceperunt ac tradiderunt, amplecti nos oportet. Et q ea amplectit, verbũ dei amplectitur: q dixit: Qui vos audit, me audit: & q vos spernit, me spernit. Quanquam enim Deus per Hieremiam Prophetam, sicut iam dixi, se in cordibus ac mentibus hominum legem suam nouam scripturum esse promisit, scripsitq́ adeò digito suo, hoc est, inspiratione spiritus sancti, tamen linguarum humanarum ministerio ad hoc usus est, & utitur etiamnum. Argumento est illud, quod in actis Apostolorum de Eunucho illo, qui erat super omnes gazas Cãdaces reginę Aetiopum, me-

*2. Thess. 3.*

*Luc. 10.*

*Hier. 31.*

*Heb. 8.*

*Deus per homines uolũtatem suam nobis patefacit.*

*Act. 8.*

moriæ proditum est: Quem poterat quidem Deus ipse per se illustrare, ut & prophetiam Esaiæ, quam legebat, intelligeret, & in Christum crederet: nec tamen id fecit: Verum præcepit Philippo Euangelistæ ut accederet, & adiungeret se ad currum eius, docendi eius gratia.

Act. 10. Cornelium quoque centurionem poterat ipse per se spiritus sancti afflatu conuertere: nec tamē id fecit: Ac ne per angelum quidem, per quem ei denunciauit, orationes & eleemosynas eius sibi gratas esse. Verum præcepit ei, ut Petrum accerseret, & audiret ab eo uerba, in quibus saluus fieret ipse ac domus eius: quo concionante, tum demum ille spiritu sancto afflatus credidit. De Paulo iam antea dixi, quod licet à Christo cœlitus uocatus, correptus, & conuersus esset, tamen ille ipse Christus

Act. 9. ab Anania discipulo uoluit eum, quid facto opus esset, erudiri, ac per impositionem manuū eius spiritu sancto eum repleuit. Vides Deum non sine humano ministerio salutem hominum perfecisse & perficere: Non quòd aliter non possit, cum ipse sit, qui fecit verbo

Psal. 145. suo cœlum & terram, mare, & omnia quæ in

Prouer. 2. eis sunt, ipseque det sapientiam: sed vt eò magis mutua inter homines charitas augescat & conseruetur, quò magis homo homine vtitur, ac

opus

opus habet, neu quis infusæ diuinitus sapientiæ præfidens, humanam disciplinam atque societatē deserat vel contēnat. Propterea Paulus ad Galatas scribens, ostendit non ex reuelatione aut lectione, sed ex auditu fidei accipi spiritū sanctū: Et ad Romanos: Fides, inqt, ex auditu, auditus verò per verbum Christi: Id vero per Apostolos, quorum sonus exiuit in omnē terram, & verba in fines orbis terrarum, propagatū est. Vbi illud quoque obseruare debes, quod Paulus Apostolorū verba & cōciones, Christi, atque ita Dei verbū appellat: Nec dicit, scripta, sed sonum & verba eorum, vt non minorem habeamus fidem doctrinæ traditionique Apostolicæ, quàm ipsi Christo, aut scripturæ diuinitus inspiratæ. Olim id Deus ita definierat, & non solum per Dauidem, sed etiam per Esaiam euidenter prænunciarat, quod lex & religio Christiana viua voce per Apostolos vniuerso mundo tradi debuerit, Iam tū studiose cauens, ne homines postea paterent seduci se à falsis Prophetis, qui vel ex ementitis reuelationibus diuinis, vel è solis scripturis pendêre vellent, asseuerantes ijs omnem doctrinam salutarem & instituta religionis Christianę contineri. Tametsi dū hoc ita pseudeuāgelici isti de scripturis asseuerāt, imprudētes pcipua

Gal. 3.
Rom. 10.
Psal. 18.
*Apostolorum doctrina uiua uoce tradita.*
Esaiæ 52.

cipua quædam ſua dogmata, quę ipſi pro ſalutaribus & neceſſarijs habent, planè damnant. E quibus enim Euangeliſtarũ aut cæterorum Apoſtolorum, aut Prophetarũ ſcripturis ipſi proferunt ſuam illam, qualem ipſi intelligunt, imputatiuã iuſtitiam? vel ſecuram certitudinẽ de gratia Dei, ſine qua negant quenquam hominem ſaluum fieri poſſe? vel quod ſola fides iuſtificat? Aut igitur his, quæ nuſquam extant in ſcripturis, falsò verbi Dei nomen prætendunt, ac dementatis à ſe hominibus imponunt (quod quidem heri demonſtratum eſt) aut, non omne verbum Dei & Euangelicam Chriſti doctrinam ſcripturis comprehenſam eſſe, nobiſcum fateantur neceſſe eſt. Niſi quis forte ita intelligat, Quæ in ſcripturis tenuiter modo adumbrata ac deliniata, vel etiam ſilentio penitus prætereita, viua autem voce & inſtitutis Apoſtolorum tradita, aut vſu & moribus Eccleſiæ recepta & explicata ſint, ea quoq; ſcripturis contineri: propterea quod earũ teſtimonio Chriſtiq; per eas loquentis authoritate Apoſtolorum ſimul & Eccleſiæ authoritas ſanciatur, ita vt Eccleſiæ vel Apoſtolorum doctrinam atque traditionem ſequi, ſit authoritatem ſcripturæ ſequi: contemnere vero, ſit Chriſtum ac Deum

*Lutheranorũ dogmata quædam ſine ſcripturis.*

*Scripturis quomodo omnis doctrina ſalutaris contineatur.*

ſcripturæ

scripturæ authorem contemnere. Non solum autē scriptis ac viua voce docuerunt Apostoli, sed Christum præceptorem imitati: Cuius illa sunt verba: Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis. Et apud Lucam: Hoc facite in meam commemorationem. Hoc autem, non quod præcipio, sed quod me videtis facere. Hunc igiť imitati, & ipsi multa in mysterio, & signis qbusdam, ipsaq; actione & rēpsentatione auditorib⁹ suis seruanda tradebant. Sunt.n. ritus & instituta nōnulla iam inde à tēpore Apostorū apud Christianos populos recepta, quę vt habitu quodā corporis & actione exercentur, ita demonstratione tacita, & in silentio magis, quàm scripto vel sermone tradita esse existimantur. Nonnulla autem videntur ne describi quidem aut enarrari posse. Ea quoq; non secus quàm quæ scriptis mandata, aut viua voce tradita sunt ab Apostolis, & vt verbum dei suscipi & seruari à nobis par est. Quod autem habeat religio Christiana antiquit⁹ eiusmodi quasdam actiones & ritus, quæ à Gręcis & latinis appellantur mysteria, argumento est illud, quod scribit Paulus ad Corinthios: Orabo spiritu, orabo & mente: psallam spiritu, psallam & mente. Cæterum si benedixeris spiritu, qui supplet locum idiotæ, quomodo di-

*Ioannis 13.*

*Lucæ 22.*

*Traditiones Apostolicæ in mysterio.*

*Ritus externi in religione Christiana.*

*1. Cor. 14.*

cet amen ad tuam benedictionem? Hinc sane apparet, tempore Pauli iam in Ecclesia Christi ritus quosdam sacrorum & benedictionum fuisse. Quales autem ij fuerint, nihil scripto proditum ad nos peruenit. Ad extremum sic ille ibi concludit: Omnia autem honeste & secundum ordinem fiant in vobis. Quomodo autem honeste siue decenter & ordine quicquam fieri debeat, nulla de eo extat scriptura, aut viuæ vocis traditio, vixque aliter, meo quidem iudicio, quàm actione ipsa & vsu id statui potuit, aut potest. Honestas enim atque decorum, sicut in actione magis, quàm in verbis aut scriptis spectat, ita exẽplo & actione ipsa potissimum docetur ac discitur. Eò & illud pertinere videtur, quod seruator noster cum Samaritana muliere loquens dixit: Veri adoratores adorabunt patrem in spiritu & veritate. Hoc est: Spirituali pariter & exteriori cultu, ita, vt is neque externis modo cæremonijs adumbratus, qualis apud Samaritanos & Iudæos tunc erat, neque spiritualis tantum, qualis est angelorum, futurus sit: sed hominibus animo & corpore constantibus conueniens: qui tunc demum in veritate fit, si cum externa actione spiritus & animus consentiat.

Ioan. 4.

A VI. Non igitur respuit religio nostra externos

ternos cultus diuini ritus ac cæremonias? MO. Nequaquam. Non mentes solas, sed & animas & corpora nostra Deus ad gloriam suam condidit & redemit. Atq; ita non modo interiore agnitione, mentisq; & voluntatis erectione, verumetiam exteriore corporis habitu & adoratione coli à nobis vult & inuocari. Quod quidē, vt Moysi legem pțeream, eorū, qui in lege naturali vixerunt, exemplis demōstrari posset. Legimus.n. huiusmodi exteriores cultus ab Abele, Noa, Abraamo, Isaaco, Iacobo, Melchisedecho, Iobo, & alijs pijs ac sanctis hominibus Deo sæpe exhibitos, & ab eo pbatos & acceptatos, atq; adeò nonnunquam etiam exactos fuisse. Sed ea prætermittam, ne sim longior. E Christiana nostra religione aliquid eiusmodi proferam. Genuflexione inter precandum non modo Stephanus, Paulus, & Petrus, verūetiā ipse Christus vsus esse, Ideóq; etiā oculos ad cœlū eleuasse, legitur. De tribus Magis Matthæus non sine causa cōmemorat, quod procidētes adorauerint eum, Christum videlicet puerum, qui tamen non in hoc, vt adoraretur in mundum venerat, & obtulerint ei munera aurum, thus, & myrrham. Mariam verò Magdalenam ipse dn̄s collaudauit, sempiternamq; apud omnes Christianos populos eam ipsius laudē fore p̄nunciauit, quod pedes

*Act. 7.*
*Ephes. 3.*
*Act. 9. & 20*
*Luc. 22.*
*Mar. 7:*
*Ioan. 11.*
*Matth. 2.*
*Ioan. 12.*

suos precioso vnguento inuxit, & capillis extersit: discipulos aūt suos ob id murmurantes increpuit. Collaudauit & peccatricē, siue ea il-
Luc. 7. la ipsa Maria fuit, siue alia, quòd itidem pedes suos lachrymis lauit, capillis tersit, & osculata
1. Tim. 2. est. Iam Paul⁹ viros orantes puras manus at-
1. Cor. 11. tollere iubet: & qdem virum aperto, mulierem verò velato capite orare vult. Nec temerè & sine causa Christus tā diligentē exprimit habitū orantis publicani: nimirū, vt illo exēplo disci-
Luce 18. pulos suos institueret: Publicanus, inqt, à lōge stans, nolebat nec oculos ad cęlū leuare, sed pcutiebat pect⁹ suū. Quid illud, quòd cum mul-
Mar. 7. tos idem Christus solo verbo sanasset, in surdi & muti auriculas digitos suos immisit, & ex-
Ioan. 9. puēs tetigit linguā eius? aut qd curaturus eū, q cæcus natus erat, expuit in terrā, & fecit lutū è sputo, & liniuit lutum sup oculos eius? An nō seruat autem in hanc vsq; diē Ecclesia circa baptismum hasce cęremonias, ab exemplo sponsi sui petitas? Multa eiusdem modi cōmemorant
Dion. Eccl. hier. & de diuin. nominib. Clem. recogn. Dionysius Areopagita, & Clemēs Petri discipulus, itēq; alij Apostolorū auditores, quæ iā tunc Christiani sine scripturę sacræ authoritate amplectebantr, nec secus q̄ pcepta Christi & verbum dei venerabantr, nō disquirētes curiosè, quid ea sibi vellent. Qua de re ac de tra-

ditionibus

ditionibus omnino ita scribit sanctus Episcopus Basilius, qui ante mille ducentos annos floruit: Dogmata quæ in Ecclesia seruantur ac prædicantur, partim ex conscripta doctrina habemus, partim ex Apostolorum traditione ad nos delata in mysterio recepimus. Quæ vtraq; ad eandē pietatem vim habēt, & nemo his cōtradicit, q̄ vel modicum saltem Ecclesiasticorum iurium experientiam habet. Si enim aggrederemur non scripto proditas consuetudines velut non magnam vim habentes reijcere, imprudentes etiam ipsis principalibus Euangelij partibus damnum inferremus, imò potius ipsam Euangelij prædicationem ad nudum nomen contraheremus: Velut verbi gratia, vt eius quod primum ac communissimum est primam mentionem faciam, figura crucis signare eos, qui in nomen domini nostri Iesu Christi spem habent, quis scripto docuit? Ad orientem conuersos esse nos dum oramus, quę scriptura nos docuit? Inuocationis verba, dum ostenditur panis Eucharistiæ, & poculum benedictionis, quis sanctorum scripto nobis reliquit? Non enim his contenti sumus, quorum Apostolus aut Euangelium mentionem facit, sed & ante, & postea alia quædã dicimus, velut magnum

Basil. de spiritu sancto. cap. 27.

 robur

robur ad mysteria habentia, ex doctrina scripto non prodita assumpta. Benedicimus aquã baptismatis, & oleum vnctionis, insuperq; ipsum qui baptizatur, ex quibus scriptis? nonne à tacita & arcana traditione? Ipsam verò olei illitionem, quæ doctrina scripta docuit? At ter immergi hominem vnde est? Reliqua item quæ circa baptismum fiunt, renunciare Satanæ & angelis eius, ex qua sunt scriptura? nonne ex hac non publicata & arcana doctrina? quam in minime curioso ac sollicito silentio patres nostri conseruarunt? Recte illi, vtpote docti mysteriorum reuerentiam ac authoritatem silentio custodiri. Quæ enim ne inspicere quidem fas erat non initiatis, horum doctrinam quomodo par erat in literis velut in triumpho ostentare? Aut quid tandem volẽs magnus ille Moyses, nõ omnibus omnia templi loca peruia esse statuit, verũ extra sacra septa prophanos locauit, prima verò atria purioribus permittens, solos leuitas Dei ministros dignos iudicauit: victimas verò & holocausta ac reliquã sacrorum celebritatem sacerdotibus assignauit, vnumq; ex omnibus delectũ in adyta admisit, & neq; hunc semper, sed vna solum anni die, atque huius hora certa ad ingrediendum ipsi constitu-

*Rituum arcanæ rationes.*

constituta, qua propter nouitatem & insuetudinem, cum maiore admiratione inspiceret sancta sanctorum: probe gnarus ex sapientia sua, ei quod conculcatum est & per se apprehendi potest, imminere contemptum: quod verò remotum est ac ratum, ei naturaliter quodammodo esse coniuncta admirationem. Ad eundem modum etiam hi, qui ab initio res Ecclesiasticas sanciuerunt Apostoli & patres, in occulto ac silentio mysterijs authoritatem conseruarunt. Necp enim omnino mysterium est, quod ad populares & vulgares aures effertur. Hæc est ratio, cur aliqua tradita sint citra scriptum, vt ne dogmatum cognitio neglecta fieret, & in contemptum veniret apud vulgus propter consuetudinem. Ita Basilius non modò de ritibus externis ac cæremonijs, sed in vniuersum de traditionibus Ecclesiasticis. Nec diuersum scribit Eusebius Cæsariensis: nempe Apostolos Ecclesiæ doctrinam salutarem partim in scriptis, partim sine scriptis viua voce tradidisse. Epiphanius item: Oportet, inquit, nos traditione quocp vti. Necp enim omnia ex diuina scriptura possunt accipi, propterea quòd quædam scripturis, quædam autem traditione tradiderunt sancti Apostoli. Mitto Origenem,

*Euſ. demõſtr. Euang. lib. 1.*

*Epiph. aduer. hæreſ. in Catharis.*

Ori. Omil. 5. in Nume. Cle. ſtro.li. 1. Atha. de Spiritu ſancto. Chryſ. contra Iudæ. Omil. 5. & in 2. Theſſalon. 2. Hiero. aduerſ. Luci. & Vigi. et in Ec. ca. 10 Augu. in Ioan. tracta. 109. & Epiſtola 99. Cypr. de ablu. pedum. Tertu. de cor. mil. et de Vir. uelan. Theophi. in 1. Corinth. 11. Cyril. Epiſt. 1. Nazian. de ſpiritu ſancto. Euſeb. Hiſtor. Eccleſi. lib. 3. capite 35.

nem, & Præceptorem eius Clementem Alexandrinum, Athanaſium, Chryſoſtomum, Hieronymum, Auguſtinū, Cyprianum, Tertullianum, Theophilactum, Cyrillum, Nazianzenum, & multos aliòs Grecos & Latinos, recentiores iuxta ac vetuſtiores: quorum eadem eſt de traditionibus ſententia. Ignatius quidem Petri diſcipulus, & in cathedra Antiochena Succeſſor, librum etiam de traditionibus Apoſtolicis & Eccleſiaſticis conſcripſiſſe memoratur; Qui, vtinā extaret, minus audacter fortaſſis garriret Brentius, humanū aliqd illū in eo paſſum eſſe, & eſſe ea pudenda ſancti illius Patris, quæ tegi potius, quàm nudari conueniret: Quod non veretur ſcribere de Baſilio. Tametſi non intelligo, cur vel Baſilium ſanctiſſimum ac doctiſſimum Epiſcopum, licet aliquando poſteriorem, contemnendum ſibi eſſe putet. Nihil autem prohibet, quo minus in ipſum quoq; vas electionis Paulum & Euangeliſtas, atq; adeo in Chriſtum Dominū ab eo dictum illud eſſe intelligamus: quandoquidē & ipſe Chriſtus cùm exemplo ſuo, tum verbis honorificis eiuſmodi ritus & ceremonias nobis mirifice, ſicuti dudum ex me audiuiſti, commendauit. Quid autem potuit à Turca, vel Saraceno, vel incircunciſo aliquo Phi-

liſtæo

liſtæ dici irreuerentius? Quid autem in eximios illos, quos dudum commemoraui, & alios multos ſanctos doctores, vt Paulum doctorem gentium præteream, contumelioſius, quàm traditionarios atque traditores eos appellare, propterea quod affirmant non minus traditione, quàm ſcriptura Apoſtolica ſalutarem & Euangelicã doctrinam eſſe cõprehenſam? Et iſta defendet cõſentaneis iſti pſeudeuangelio, perſonæque ſuæ, quam ipſe ſibi ſumpſit, ſcommatibus & maledictis Vergerius? Satis ergo, vt arbitror, liquet, multa, quæ ad fidem & religionem Chriſtianam pertinent, Apoſtolos Spiritu ſancto moderante nobis non ſcripto, ſed viua voce, multa, ne viua quidem voce, ſed in ſilentio, ipſo vſu & actione prodidiſſe: quæ non modo non ſunt magicæ præſtigiæ, quemadmodum iſti tui pſeudeuangelici irreuerenter loquuntur & ſcribũt, ſed parem, vt ait Baſilius, & poſt eum Bernardus, cum ijs, quæ ſcripturis comprehenſa ſunt, vim habent ad pietatem, dummodo ſeruetur in vtriſque diſcrimen neceſsitatis & vtilitatis, eiuſque perpetuæ & tẽporariæ, vniuerſalis & certo hominum generi accommodatæ, alijſue circumſtantijs, quemadmodum loquuntur Philoſophi, circumſcriptæ. AVL. Explica hoc apertius. MON. Verbi

*Bern. in cant. omil. 66.*

*Traditionum & scripturarum collatio.* gratia: Illa traditio de baptizandis paruulis parem vim habet cum illa scriptura: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non

*Ioan. 3.* potest introire in regnum Dei. Quæ autem tradita sunt de exorcismis ac terna mersione baptizandorum, ac de ratione ieiuniorũ festorumque dierum, parem cum ijs, quæ de velandis vel non velandis capitibus in oratione, vel de tempore & forma Eucharistiæ sumendæ scripta sunt. Quæ enim de baptismo primo loco viua voce tradita ac scripta esse dixi, vtraque pro necessarijs ad salutem habenda sunt: Cætera autem, quæ deinceps enumeraui, non item; Sed vtilitatis ac decori in eis ratio ducitur, ita vt ex Ecclesiæ tamen authoritate vel consuetudine ea pendeant: Nec mutari temerè, aut contemni à quoquam debeant. Sic cæteræ quoque traditiones, eiusdem generis scripturis exæquantur. Neque enim quæ scripturis ac scripto Dei verbo continentur, omnia generis eiusdem, & ex æquo omnia seruatu necessaria sunt ad salutem. Verum de eo dicendum erit fortasfis alio loco fusius & explicatius. AVL. At enim CHRISTVS non ad viuæ vocis, neque ad arcanas istas, quæ actione constant traditiones, sed ad scripturas nos remittit, inquiens: Scrutamini

mini ſcripturas. Et alibi: Nonne ideò erratis neſcientes ſcripturas? MON. Ad quoſnam autem hæc locutus eſt? Certe non ad Apoſtolos, aut eos, qui iam in ſe crediderant: Verum ad Iudæos, improbe ſe tentantes, doctrinæq́; ſuæ aduerſantes. AVL. Quin diſcipulos quoque ad ſcripturas remiſit: Nec modò duos illos Emauntem euntes, verumetiam omnes pariter congregatos, cùm eis poſt reſurrectionem ſuam apparuit, ſicut ſcribit Lucas: & aperuit illis ſenſum, vt eas intelligerent. MON. Bene mones: Remiſit: Sed dubitantes ac incredulos itidem, vt erant Iudæi. Ad quas verò ſcripturas vtroſq́; remittebat? Non ad eas certe, quas Euangeliſtę & ipſimet Apoſtoli conſcripſerunt, quę nec dum extabant: verum ad ſcripturas veteris teſtamẽti, legẽ videlicet Moyſi, Prophetas, & Pſalmos. Cur autẽ remittebat? Vt inde formam doctrinæ ſuæ condiſcerent? Minimè. Sed vt crederent, Iudæi quidem, ſe eſſe promiſſum Meſsiam, & Prophetam illum magnum, nouæ legis latorem ſiue doctorem, ac filium Dei: Apoſtoli verò, impleta eſſe omnia, quæ in ſcripturis de ſe prædicta fuerint, quo vtriq́; ſcripturarum illarum [illegible] authori-

*Ioan. 5.*
*Mar. 12.*
*Luc. 24.*
*Ad ſcripturas cur ſint remiſſi Iudæi & Apoſtoli.*

authoritate, quæ summa apud eos erat, adducti, doctrinam suam diuinam esse crederent, & susciperent, Apostoli verò etiã propagarent. Certe vel ratio ipsa id indicat, si quis persuadere quid cuipiam refraganti, vel dubitanti, & in suam sententiam adducere eum velit, eo id facere eum oportere, quod apud illum pondus habeat. Quales erant apud Hebræos scripturæ sacræ, summam atq; diuinam authoritatem
Gal. 3. obtinentes. Ac propterea Paulus quoq; pædagogum legem appellat, quia per eam Iudæi ad Christum, perinde ac pueri ad magistrum, adduci debuere, à quo demum salutarem doctrinam perdisceret. Itaq; mox adijcit: At vbi venit fides, iam nõ sumus sub pædagogo, hoc
*De scripturis ueteris testamenti quid sentiendum.* est, sub lege. AVL. Iam ergo nos Christiani veteris testamenti scripturas amplecti non debemus? Cur igitur eæ leguntur, ac in scribendo atque disputando, & in concionibus subinde multa inde promuntur? MON. Cum eæ sint
Esaie 40. verbum domini, quod (Esaia teste) manet in æternũ, & mandata domini, quæ fidelia sunt,
Psal. 110. quemadmodum canit Psaltes, confirmata in seculum seculi, facta in veritate & æquitate, continent, sedulo eas amplecti debemus: Verum non aliter, quàm Deus ipse author earum
Gen. 25. id fieri vult: AVL. Quo pacto? MON. Vt secundum

eundum responsum diuinum non minor maiori seruiat, sed maior minori, Hoc est, vt vetus testamentū ad nouū, nō nouū ad vetus adaptemus. Sic. n. Paulus scripturam illam interpretatur. Neq; enim propterea deus dedit vetus testamentum, vt per id quisquam iustificaretur & seruaretur. Quin statim post transgressionem & peccatum primorum parentum nostrorum promisit is non Hebræis, qui nec dum vlli in rerum natura erant, verum posteritati illorum ipsorum primorum hominum, hoc est, vniuerso generi humano seruatorem, & necatorem serpentis, hoc est, diaboli, q genus humanum deceperat, & in potestatem suam redegerat. Itidem & Abraæ promisit semen, in quo benedici debebant omnes tribus terræ: Itemq; Isaaco, & Iacobo aliquot seculis ante legem datam. Ad eundem modum & Hebræis omnibus, cum eis legem dabat p Moysen, promisit, suscitaturum se esse prophetam de fratribus ipsorum, & in ore eius positurum verbum suum: Addita interminatione: Si quis verba eius non audierit, se vltorem fore. Post datam quoq; legem itidem p Prophetas promisit non solis Hebræis, verum cunctis populis Messiam, doctorem iustitiæ, sacerdotem & regem sempiternum, qui iram Dei aduersus

Rom. 9. Rom. 3. & 4. Gal. 2. Hebr. 7. Messias promissus. Gen. 3. Gen. 22. 26. & 28. Deut. 18.

eos placatur?, & nouam legem, priore illa abrogata, conditurus, per eamq; ipsos in sempiternum gubernaturus, & beaturus esset: Quod prolixum esset enumerare. AVL. Cur igitur, & in quē vsum prior illa lex Hebręis data est, quando aliam eos expectare oportebat? MON. Respondebit tibi pro me Paulus: Ad confirmandas promissiones Patrum: & propter transgressionem: Hoc est, ad coërtionē præfractorū & contumaciū Hebręorum, et ad omne vitiorum genus, maximè verò ad idolorū cultum procliuiū, donec veniret suo tempore Seruator & Messias promissus. AVL. Quis igitur nobis eius legis vsus est, posteaq; Messias ille promissus venit, & salutarē doctrinam nobis tradidit? MON. Permagnus, quemadmodū testificatur Paulus ad Roma: ita scribens: Quęcunq; enim scripta sunt (intellige in lege, de ea nanq; ibi agit) ad nostram doctrinā scripta sunt, vt per patientiā et consolationē scripturarū spem habeamus. Licet. n. Christus Dn̄s in mortali corpore suo omnē ferè legem impleuerit, tamē restant adhuc multa cū in eo ipso, sed ad immortâlitatē & claritatē dei trāsformato, tū in mystico ei⁹ corpore, q̄d est ecclesia, & in nobis ipsis, membris ei⁹, implēda. Alios itē vsus eiusdem legis idem Paulus alibi enumerat, inquens: Omnis

*Lex vetus cur data sit Hebreis.*

*Romano. 15.*

*Gallat. 3.*

*Legis usus apud Christianos.*

*Romano. 15.*

Omnis scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad docendum, ad arguendũ, ad corripiendum, ad erudiendũ in iustitia: vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonũ instructus. Quod si exactius vis nosse ea cõmoda, scire te oportet, q̃d lex in se cõtineat. Ne verò erres, legem hic appello cum Paulo, non modò quinq; libros Mosis, verumetiã omnia Prophetarũ, & aliorũ sanctorum virorũ scripta, quęcunq; in Canone scripturarũ veteris Testamẽti censentur. Hac lege, siue scriptura sacra, continent nõ solum præcepta et interdicta Dei, sed etiam rerũ futurarum iuxta ac præteritarũ, siue ad omne genus humanũ, siue ad vnũ populum Israëliticum, quem Deus sibi peculiariter delegerat, pertinentium, diuinæ reuelationes: Earum item, quæ quibusq; temporibus, in illo ipso populo præsertim, diuinitus humanitusq; gerebantur, & bonorum iuxta ac malorum successuum certa DEI prouidentia euenientium certæ descriptiones: Ad hæc Psalmi, laudationes, & inuocationes DEI: & quæ quoquo modo ad excolendam humanam pietatem & sapientiam pertinent. Hæc omnia conscripta sunt præcipuè propter Hebræos, quò DEI potestatem, sapientiam, prouidentiam & bonitatem, beneficiaq;

erga

*2. Timoth. 3.*

*Legis nomine quid ueniat.*

*Legis summa.*

erga se præ oculis haberēt, suaq; vitia nossent: Eaq; recognoscendo, præceptis Dei, spe præmiorum, ac pœnarum metu, & bonorum atq; malorum exemplis in officio continerentur: & voluntati Dei conuenienter viuendo, ab ipso opem, præsidium, & omnia bona expeterent: Et quoniam, vitiata peccato natura, ad malum procliues, voluntati & præceptis Dei non vsquequaq; obtemperabant, & erāt sempiterno exitio obnoxij, cœlitus promissam salutem, & salutis authorem certa spe expectarent. Deinde etiam propter nos, quemadmodum scribit Paulus, hoc est, propter confirmationem nostram, Christianorum videlicet, ea scripta sunt, quo certius ac firmius credamus, dominum Iesum Christum, esse Dei cœli ac terræ conditoris filium, & filium hominis: seruatorem & magistrum totius mundi: illum, qui in lege illa fuit promissus, sacrificijs & ritibus varijs repræsentatus, à sanctis patribus & Prophetis expectatus & p̄nunciatus: Hisq; fidem & spem nostram confirmemus, quemadmodum hæc impleta sint, ita procul dubio cætera quoq;, quæ ijsdem scripturis continentur, siue ab ipso Christo domino vel Apostolis eius prædicta & promissa sunt, impletum iri: Atq; hæc meditando, Deiq; erga nos clementiam

Rom. 15.
Hebr. 7.

mentiam & beneficia nobiscum reputando, *Lucæ 1.*
ardentius eum diligamus,& bonitatem ac sanctitatem eius imitemur,prçceptisq; eius pareamus, & quemadmodum Zacharias Ioannis baptistæ pater cecinit, vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati seruiamus illi, In sanctitate & iustitia coram ipso omnibus diebus nostris. Huc nimirum pertinet illud, *Ioan. 5.*
quod dixit Christus: Scrutamini scripturas. Et statim subdit: Et illæ sunt quæ testimoniũ perhibent de me. AVL. Hoc, vt mihi quidem videtur, de Prophetijs tantum & promissis intelligendum est. MON. Quid igitur dices ad Paulinum illud, q̃d dudũ recitaui? Quæcũq; scripta sunt,ad nostrã doctrinam scripta sunt. Vides hic nihil excipi? AVL. Igitur & circumcidi,& sacrificia boum,hircorum,arietũ,ouiũ, vitulorum & auium offerre,& omnes alias cçremonias ac p̃cepta legalia implere nos oportet? Verum pugnaret id cum doctrina Pauli, ac decreto Apostolorũ,cuius paulò ante mentionem fecisti. MON. Obseruandum hic tibi est præceptorum discrimen,si non vis errare. Sicut enim ea non vnius modi sunt,ita & vsus eorum varius est. AVL. Expone hoc planius. *Præceptorum*
MON Faciam.Sunt quædam præcepta ad in- *legalium di-*
formandos hominum mores ac voluntates *scrimen.*

 perti-

*Moralia.* pertinentia, quomodo videlicet homo quilibet erga deum & proximum se gerere, & quid vitare debeat. Hæc non sunt propria legis Mosaicæ, verùm iam inde ab initio conditi humani generis in animis omnium insita sunt à Deo. De quibus illud Paulinũ accipi oportet, quod scribit ad Romanos; Cum enim gentes, quæ legem (subaudi scriptã) non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostẽdunt opus legis scriptũ in cordibus suis. Verum enimuero corrupta per peccatum natura humana, cum ea præcepta obscurata ac penè deleta fuissent ex animis hominum; Deus dimittens cæteras gentes in præteritis generationibus ingredi vias suas, vni populo Hebræo per Mosen ea renouauit. Hæc omnibus populis ac seculis apta sunt: Cuius generis sunt decẽ illa, in duabus tabulis lapideis Mosi à Deo tradita, & alia eiusdẽ generis, quæ moralia vocantur: Eaq; omnia dilectione Dei & proximi continentur, quemadmodum testificatur Paulus ad Romanos & ad Galatas scribens, & Christus ipse apud Matthæũ. Ad huiusmodi præcepta seruanda nos quoq; Christiani adstringimur, quemadmodum & Ioannes ostendit ita scribens: Et hoc manda-

*Rom. 2.*

*Acto. 14.*

*Moraliũ præceptorũ summa & usus.*

*Rom. 13. Gal. 5. Matth. 22. 1. Ioan. 4.*

tum

tum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem suum. Et Christus ipse: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata: eaq́ mox enumerat. A talibus igitur præceptis Paulus & alij Apostoli nos immunes nõ reddiderũt. Tametsi illud simul indicãt, quàmuis renouati simus per baptismum, non posse tamen per ea, quantum in ipsis est, refrenari cogitationes & concupiscentias nostras voluntati Dei repugnantes. AVL. Quam igitur vtilitatem nobis afferunt, quandoquidem prauas cogitationes & concupiscentias non refrenant? MON. Voluntatẽ dei nobis declarant, & imbecillitatem nostrãm coarguũt, q̃ maiori desiderio auxiliũ quęramus: quod nobis Prophetę q̃dem ac cęremonię legis tectius, Euangelium verò ac doctrina Christi apertius commonstrat. Ea verò est gratia dei per dñm. nostrũ Iesum Christum nobis parta: quæ non tantum delet quicquid aduersus præcepta Dei cõmisimus, sed voluntatẽ etiam nostrã corrigit, alacritatemq́ & vires nobis ad obtẽperandum voluntati dei suppeditat, vt in præceptis eius ambulemus: Denique quod per humanam infirmitatem minus exacte pręstare possumus, id ea ipsa gratia meritò CHRISTI supplet in nobis, & imperfectioni nostrę clementer indulget.

Matth. 19.

Rom. 7.

Gratiæ Dei uis & efficientia.

Hic eſt verus, bonus, & Chriſtianus moraliū huiuſmodi præceptorum vſus. Etenim finis legis eſt Chriſtus ad iuſtitiam omni credenti, quemadmodū idem Paulus Romanis ſcribit.
Rom. 10.
Habes de primo genere præceptorum. AVL. Quodnam eſt alterum? MON. Alia ſunt præcepta ad externum cultum diuinum pertinentia; Qualia ſunt circumciſio, ſacrificia, expiationes, dies feſti, veſtitus ſacerdotalis, vaſa, & omne inſtrumentum cultuſq; tabernaculi, animalium ad eſcam delectus, & multa eiuſdem modi alia: Quæ à Deo inſtituta ſunt propter ordinem publicum, decorem ac dignitatem cultus diuini, & propter ſuum cuiuſq; hominis decorum conſeruandum, vitandaſq; ſuperſtitiones aliarum gentium, quas Hebræi inter dæmonum ac idolorum cultores imbiberant: Hæc præcepta vocantur cæremonialia, ſoliſq; Iſraelitis ſeruiebant, nec ijs tamen omnibus, nec vbiq;, neq; ſemper: ſed ab ipſo Deo certis locis, temporibus, perſonis, & alijs circūſtantijs, adſtricta fuere, ſine quibus non obligabāt.

*Cæremonialia præcepta.*

AVL. Edifſere iſta planius. MON. Age: Circūciſio Abrae ſoli cum poſteris ipſius, & ſeruis, idq; maribus tantum præcepta fuit. Itaq; alias nationes id præceptum non obligabat. Quod autem neq; apud Abrae poſteritatem, hoc eſt,

*Gen. 17.*
*Circumciſionis inſtitutæ cauſa & duratio.*

apud Hebraicum populum, sempiternum id futurum fuerit, inde colligitur, quod datum id est in signum peculiaris fœderis inter Deum & Hebræos, quo à cæteris gentibus distinguerentur. Cum autem fœdus illud alio nouo fœdere, per Hieremiam & alios Prophetas prænunciato, antiquatum sit, signum quoque eius, ipsa inquam circumcisio, cessare debuit. Vbi enim cessat ratio legis, ne lex quidem ipsa locum habet. Iam de sacrificijs, quomodo fieri debeant, non vniuerso populo Hebraico, verùm sacerdotibus modò præceptum datũ est. Quod autem non vbiq; locorum Hebræi pecudes immolare festosq; dies agere debebant, non obscure id deprehendes in Deuteronomio. Igitur nũc ij, quando eiecti & exclusi sunt eo loco, in quo eis Deus immolare præcepit, nullas pecudes immolant, neq; vestitu sacerdotali vtuntur. Nec se in eo peccare arbitrantur. Peccarent autem si alibi, quàm vbi præcepit Deus ea seruarent. Cum autem nunquam ij deinceps ad locum illum & ad arcam Dei reuersuri sint, secundum Danielis vaticinium, hoc argumento est, penitus iam cessasse sacerdotium illud & sacrificia, nec sempiternum id fuisse præceptum. Quod Paulus quoq; confirmat ad Hebræos scribens. Hoc ipsum de

*Hier. 31.*

*Sacrificiorum legaliũ ratio.*

*Leuit. 6. 7. &c.*

*Deut. 12.*

*Daniel. 9.*

*Hebr. 7.*

aliis quoque cæremonialibus præceptis demonstrari posset: Sed satis est, de duobus præcipuis demõstrasse, ea solos Hebręos obligasse, & quidem ad tempus; quod iam præteriit, parta vniuerso generi humano per Christum salute, veraq; religione, qua adoramus patrem in spiritu & veritate, prodita. Vmbram enim futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum lex habuit. Et tamen & hæc, & omnia præcepta Dei æterna sunt, quemadmodum testificatur sapiens: Nec solos Hebræos, verùm nos quoq; Christianos in omne tẽpus obligant: sed spiritualiter. Lex enim spiritualis est, quemadmodum ait Paulus. Quanquam enim cæremonias illas, ita vt sunt descriptę, peragi Deus ad certum tempus à populo illo voluit, tamen etiam tunc magis ab eis exigebat id, quod per eas significabatur, sicut ipse per Esaiam ostendit: Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit dominus? Et paulo inferius: Ne offeratis vltra sacrificium frustra: Incensum abominatio est mihi: Nęomeniam, & sabbatum, & festiuitates alias non feram: Iniqui sunt cętus vestri: Calendas vestras, & solennitates vestras odiuit anima mea, facta sunt mihi molesta, laboraui sustinens. Itidem aliis multis in

*Eccles. 1.*

*Cæremonialium præceptorum usus.*

*Rom. 7.*

*Heb. 10.*

*Esaie 1.*

locis

locis. Alibi verò aperte ostendit, eas ipsas cæremonias sibi gratas esse, si spiritualiter peragantur. Velut de circumcisione per ipsum Moysen diserte expresit: Circumcidite igitur præputium cordis vestri, &c. Alibi etiam apertius exponit, hanc cordis circumcisionem nihil aliud esse, quàm coërcionem cogitationum siue voluntatum ab illicitis concupiscentijs & amore rerum terrenarum, sic dicens: Circũcidet dominus Deus tuus cor tuum, & cor seminis tui, vt diligas dominum Deum tuũ, ex toto corde tuo, & in tota anima tua, vt posis viuere. De hac ipsa circumcisione Hieremias quoq; facit mentionem: itemq; Paulus ad Romanos scribens; quod laus eius non ex hominibus, sed ex Deo sit. Et ad Philippenses: Nos enim sumus circumcisio, qui spiritu seruimus Deo, & gloriamur in Christo Iesu. Vbi innuit quod à nobis Christianis circumcisio spiritualis seruari debeat, & quomodo id fieri oporteat. Ad eundem autem modum qualibus sacrificijs Deus delectetur, ipse ꝑ Dauidem cõpluribus in locis ostendit: Vt Psalmo 49. Aspernatus sacrificia taurorũ, hircorum, & vitulorum, subdit: Immola Deo sacrificium laudis, & redde altisimo vota tua. Et alibi: Sacrificate sacrificium

Circumcisio spiritualis.
Deut. 10.
Deut. 30.
Hier. 4.
Rom. 2.
Phil. 3.
Sacrificia spiritualia.
Psalm. 49.
Psalm. 4.

Psalm. 50. iustitiæ, & sperate in domino. Et alibi: Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritū & humiliatum Deus non despicies. Et alio loco: Psalm. 140. Ascendat ad te domine oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo: Eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinū. Ozeas quoq; Ozee 14. dicit: Reddemus vitulos labiorum nostrorū. Mal. 1. Per Malachiam autem Deus ipse, cum ostendisset, nō esse sibi accepta sacrificia Hebræorū, ait: In omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda. Loquitur quasi iam fiat id, quod postea fieri in noua lege debuit. De qua oblatione hic non est locus plura dicendi. 1. Pet. 2. Petrus etiam scribit ad Christianos: Offerentes spirituales hostias, acceptabiles Deo per Iesum Christum. Hebr. 13. Paulus item ad Hebręos Christo initiatos: Per ipsum ergo (Christum videlicet) offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini eius. Beneficentiæ autem & communicationis nolite obliuisci. Talibus enim hostijs promeretur Deus. Hæc sunt sacrificia, secundum vnicum, & hęc omnia deo accepta faciens Christi Iesu sacrificiū, per legalia illa sacrificia significata, quæ Deus cùm ab Hebræis exigebat, tum à nobis quoq; Christianis exigit. Ad eundem modum intellige de omnibus

alijs

aliis cæremoniis legis veteris, quod habeant suas significationes spirituales, & spiritualiter in nobis & à nobis peragi debeant. Quod illis etiam verbis dei ad Mosen significatur, quemadmodũ interpretatur Paulus: Inspice, & fac (vel, vt est apud Paulum, vide facito) omnia secundum exemplar, quod tibi ostensum est in monte. Atq; hæc de cæremonialibus præceptis nũc sufficiant. Tertium genus præceptorum legalium est, quæ vocantur iudicialia: pertinentq; ad tuendam iustitiam in repub. & concordiam multitudinis, & ad prohibendam actionum deformitatem ac turpitudinem, coercendosq; delinquentes. Cuius generis sunt illa: de seruis, emolumentis, damnis, contractibus, furibus, iniuriis, aliisq; delictis ac delinquentibus: Illa item, quorum facit mentionem Christus apud Matthæum: Quicunq; dimiserit vxorem suam, det ei libellum repudii. Et illud: Audistis, quia dictum est: Oculum pro oculo, dentem pro dente, & alia multa. Hæc quoq; secundũ literam ad solos Hebræos pertinebant, nec nos Christianos obligant. Quod quidem ex Euangelio doctrinaq; Christi colligitur, quando adulteram contra præceptum legis à lapidatione liberauit: quando diuortiis à lege permissis interdixit, quãdo malum pro

Exod. 25.
Hebr. 8.
Matth. 5.
Deut. 24.
Exod. 21.
Deut. 19.
Ioan. 8.
Matth. 5. 9.

*Iudicialium usus apud Christianos.* malo reddere vetuit. Neq; tamen hoc sic accipiendũ est, quasi eiusce modi præcepta iudicialia, mala & inutilia nobis sint: sed quòd maiorem perfectionem à nobis requirat Christus.

*Heb. 7.* Lex enim nihil ad perfectum adduxit, ait Pau-

*Christianæ legis perfectio.* lus. Atq; ita quæ permissa fuerunt Hebræis,

*Matth. 19.* nobis vetantur: quod quidem illis verbis domini significatur: Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere vxores vestras. Animaduersiones quoq; in sontes acriores sunt apud nos, quàm apud il-

*Pœnæ noui testamẽti grauiores esse quã ueteris.* los fuere. A VL. Quid ais? MON. Ideo fortassis hoc tibi mirum esse videtur, quòd mortem grauissimũ & acerbissimũ suppliciũ esse ducis. A VL. Quę aũt pęna morte grauior esse potest?

*Excommunicationis uis.* MON. Non vna: Apud nos Christianos excõmunicatio est longe atrocior pęna, q̃ mors. Etenim ad animã, q̃ corpore lõge est præstantior, vis eius sese exerit, separatq; hominẽ à vera vita, domino inquam nostro Iesu Christo. Quam quanti fecerint maiores nostri, veri & ꝓbi Christiani, non modò ex annalibus & historijs nouimus, verũ ipsi quoq; aliqua ex parte meminimus. Nunc, proh dolor, in risum iocumq; ea vertitur. Nec scio, an nos ipsi Eccle-

*1. Cor. 5.* siastici hominẽs causã ei rei ꝓbeamus. Hac sanè pœna Paulus in Corinthium illũ, q nuper eam

duxerat,

duxerat, animaduertit; itemque in Hymenæum & Alexandrum, qui circa fidem naufragaue-runt, & blasphemabant. Hac ipsa Christus ipse magister noster animaduerti pręcepit in eum, qui non audierit Ecclesiam. AVL. Hac ratione durior erit lex Christiana, quàm Mosaica. MON. Ita qdem sentit etiam Greg. Nazianzenus, qui propter pręstantiam theologi nomen apud Gręcos meruit. AVL. Cur igitur scriptura vocat eam legē gratiæ & libertatis? aut cur dominus ipse affirmat, iugum suum suaue esse, & onus suum leue? MON. Non ideo lex Christiana vocata est lex libertatis, quod liberū ac licitum sit homini Christiano facere quicquid velit. Hæc enim est libertas carnis, à qua nos auocat Paulus, ad Galatas ita scribens: Vos enim in libertatem vocati estis fratres, tantum ne libertatem in occasionem detis carnis: sed per charitatem spiritus seruite inuicem. Ad eundem modum & Petrus: Quasi liberi, & non quasi velamen habentes malitiæ libertatem: sed sicut serui Dei. Quin Paulus præcipit nobis: Sicut enim exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniqtatem, ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem. Eiusque rei causam præmisit dicens: Liberati autem

1. Tim. 1.
Matth. 18.
Naz. in serm. Pasch.
Ioan. 1.
Rom. 6.
Iac. 1.
Matth. 11.
Lex libertatis.
Gal. 5.
1. Pet. 2.
Rom. 6.

 à peccato,

à peccato, serui facti estis iustitiæ. Non igitur lex Christiana eam libertatem præstat, qua liceat nobis quicquid libet: Sed est lex libertatis, propterea quòd per eam liberati sumus à peccato, sicut ipse Christus eius libertatis author affirmat: Et attestatur Paulus verbis dudum à me citatis. Est etiam lex libertatis ideo, quòd Christianus homo non inuitus & coactus, verum lubens & ex amore ei paret, ac parere debet. Ac propterea Christus iugum suũ suaue, & onus leue esse affirmat. Amanti enim nihil est difficile. Lex autem gratiæ dicitur, quod per eam cõdonata nobis offensa, in gratiam Dei reponimur, & infunditur nobis diuinitus gratia, quæ in nobis, vel (vt rectius dicam) per quam, & qua adiuuante nos legi Dei satisfacimus, vereq; iusti efficimur corã Deo, ac non solum ipsi accepta fiunt recte facta nostra, verumetiam certam habẽt æternamq; remunerationem. Quotiescunq; autem contingit, vt Deum quamlibet grauibus & enormibus peccatis offendamus, quàm primũ ad eum ex animo reuersi fuerimus, & admissorum nos pœnituerit, recipit nos in gratiam. Atq; hac in parte clementior est noua lex per Christum, quàm vetus per Mosen data. In illa enim non tam facilis erat condonatio culpæ & pœnę, quàm

*Ioan. 8.*

*Lex gratiæ.*

*Veteris & nouæ legis discrimen.*

quàm est in hac. Quò clementior autem ea est in eos, qui cum peccauerint agnoscunt culpã, & pœnitentes à Deo veniam petunt, eò seuerius animaduertit in eos, q tam exuberanti gratia abutuntur, aut aspernantur eam, sicut testificatur Paulus inquiens: Irritam qui faciens legem Moysi, sine vlla miseratione duobus vel tribus testibus moritur, quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliã fecerit? Hic certe animaduertere potes, atrociores esse pœnas noui testamenti, quàm veteris: Quod superius quoque in eadem epistola idem Paulus attingit. Atque ita huiusmodi præcepta legis veteris, quæ ad coërcionem peccatorum attinent, cæteraque iudicialia, non sunt damnata per Christum, sed ad perfectionem reducta. Quanquã ea quoque habent mysticas significationes, quibus nos Christiani adstringimur. Ad externam autem eorum obseruationem non adstringimur. Verùm sua sponte communitates atque respubl. hominum Christianorum possunt ijs vti, quatenus ea sibi vsui esse judicant. Neque enim religio nostra abrogat mores & instituta ciuilia, quæ cum Christi & Apostolorum doctrina

*Christianæ legis siue religionis seueritas.*

*Hebr. 10.*

*Hebr. 2.*

*Iudicialia & ceremonialia præcepta licet seruare Christianis.*

ex professo non pugnant. Ac ne à ceremonijs quidem legis Mosaicæ, quæ ad externum cultus diuini splendorem decoremque pertinent, abhorret, dum modò eæ ex se ipsæ pro necessarijs ad salutem nō habeantur. Quod quidem solum Paulus in ijs insectatur, quemadmodū cùm ex alijs Epistolis eius, tū ex ea, quam scripsit ad Galatas, planè apparet. Absque eo sanè & ipse quasdam, & cæteri Apostoli nonnunquam seruarunt, & recepit seruatque nonnullas etiam nunc sine vllo piaculo catholica Christi ecclesia. A V L. Iam de tribus præceptorū generibus, quę sit eorum ratio, quique vsus apud nos Christianos esse debeat, didici. Quid? Psalmorū & aliarū veteris testamenti precationū atque laudationū dei, itemque eorū, quę ad excolendā pietatē & sapientiam pertinere dixisti, est'ne aliquis vsus? M O N. Perinde id quæris, quasi Christianos pecudes uel stipites esse oporteat, ac nō de ijs Paulus illud scripserit: Vt pfectus sit homo dei, ad omne opus bonū instructus: Quod qdem partim sapientia, pietate, & gratitudine erga Deū, partim ope ipsi⁹, eiusque opis imploratiōe pficitur, Quamuis aūt aliunde quoque non modò ad sapientiā, sed etiā ad laudandū & inuocandū deū erudiri possim⁹, tamē absolutiora & efficaciora sunt ea, quę diuinitus pdita esse

*Psalmorum, orationum & aliorum ueteris Testamenti scriptorum usus.*

*2. Timoth. 3.*

se cõstat, quàm quæ ab hominibus excogitantur. AVL. De rebus porrò gestis & actionibus hominũ rectis ac prauis, in ueteri lege cõscriptis, qd dices? Cui nobis vsui sunt? MON. Quid aliud dicã, quàm q̃d scribit Paul⁹ Corinthijs? Nimirũ ea scripta esse ad correptionẽ nostrã: hoc est, ꝑpter exemplũ recte quidem facta sequendi, contraria verò fugiendi. Exempli gratia, ex Abraæ pegrinatione, & immolatione Isaaci filij, addiscim⁹ obedientiã et amorẽ dei, charissimis quibusq; reb⁹ anteponendũ. E Solomonis lapsu, ne innitamur sapientię nostrę, ne'ue libidinibus indulgeamus. E Dauidis pœnitentia, ne post peccatũ desperemus de misericordia Dei. Ad eundẽ modũ de cæteris historijs existimandũ est. AVL. Quale verò exemplũ accipiemus è gemellis illis Rebeccæ vxoris Isaaci, q in vtero matris se inuicẽ collidebant, & in ortu suo alter alterius plantam tenebat? Aut ex eo, q̃d Sara Agar ancillã Abraæ viro suo ad usum coniugalẽ tradidit, ac postea parit cum puero, quẽ illa inde peperat, eiecit? MON. Licet possent hic q̃q; exempla peti, vt sunt petita à magnis qbusdam Theologis, sed ea nũc omittã: Illud modò dicã, q̃d scribit Paulus ad Galat: Hęc esse p allegoriã dicta. Quamuis enim ea sic acta sint, vt sunt literis mãdata,

*Historiarum ueteris testamenti usus.*

*1. Corint. 10*

*Genes. 12. 22.*

*3. Regum. 11.*

*2. Regum 12.*

*Genesis 25.*

*Genesis 16.*

*Galat. 4.*

*Mystica interpretatio scripturæ.*
*Rom. 9.*
*1. Cor. 10.*

aliud tamen quiddam significabant, quemadmodum Paulus eo ipso in loco, & ad Romanos, & in priore ad Corinthios Epistola, & alijs in locis interpretatur. Atq; ea spiritualis interpretatio magna religionis nostræ mysteria, præclaraq; promissa Dei in se complectitur: De quibus non est locus dicendi modo. Satis est, quod & hæc, & omnes aliæ res gestæ & euenta, & pleraq; omnia præcepta spiritualem & mysticam rerum præteritarum, præsentium, & futurarum interpretationem habent: quam nos amplecti conuenit. In qua explicanda multum operæ posuerunt apud Hebræos quidem Philo, apud Christianos verò Origenes. In summa hoc de vniuersa veteris atque adeò noui quoq; testamenti scriptura sentire nos oportet, tria esse eius genera, sicut & Augustinus & Chrysostomus memoriæ prodidere, & res ipsa indicat. Est enim quę nullum habet reconditiorem sensum, pręter eum, qui est secundum literam: Qualis est illa: Audi Israel, dominus deus vester, deus vnus est. Vel illa: Bona est oratio cum ieiunio & eleemosyna. Alia est, quæ & ipsa quidem sensu literali accipitur, sed præter eum aliam habet reconditiorem interpretationem. Qualis est illa, quod Noe cum septem alijs hominibus in arca ser-

*Scripturæ sacræ intelligendæ triplex ratio.*
*Aug. in ser. de assūp. Mariæ.*
*Chrys. in ps. 9*
*Deut. 6.*
*Tob. 12.*

ca seruatus est à diluuio: Et illa, quod Hebræi Num. 20.
de petra aquam biberunt. Vtraq; hæc scriptura & eo sensu accipiēda est, q̃ Moses memorat: & eo, quē Petrus & Paulus mysticū ꝓdiderūt. 1. Pet. 3.
Tertium scripturæ genus est, quod literalem 1. Cor. 10.
sensum non admittit, sed mysticè tantum accipiendū est. Qualis est illa, quod Adam & Eua Gen. 3.
audierunt vocem domini Dei deambulantis Esaie 6.
in paradiso: Aut, quod Esaias vidit dominum sedentem super solium excelsum & eleuatum. Vtraq; hæc scriptura non potest ita accipi, vt intelligamus sic esse factum, vt scribitur: cum Deus spiritus sit, nec habeat corpus aut Ioan. 4.
membra, nec loco vllo comprehendatur. Ha- Luc. 24.
bes igitur quomodo veterem legem intellige- 2. Par. 6.
re, & seruare debeamus. AVL. At Paulus scribit: Quæcūq; lex loqtur, ijs q̃ sub lege sunt loquitur. Hic sanè nō excipit ille huius vel illius modi ꝓcepta, sed vniuersè dicit, quòd eos tantū obligent, q̃ sunt sub lege, hoc est, Hebræos. Christianos. n. nō esse sub lege, idem Paulus in eadem Epistola testis est, ita scribens: Non. n. sub lege estis, sed sub gratia. Igitur Christiani nullo modo obligant ad vlla legis Mosaicæ præcepta seruanda. MON. Ad hæc ita tibi respondebo. Priorem quidem illum Pauli locum: Quæcunq; lex loquitur &c. nō de Mo-

*Christiani quomodo liberi sint à lege ueteri.*
Rom. 3.
Rom. 6.

saica tantum, sed in genere de quauis lege, atq; ita etiam de naturali, à qua moralia præcepta, oës homines obligãtia, pficiscunt, intelligi recte posse: Alterũ verò, vbi Christianos negat esse sub lege, pprie de Mosaica, hoc est, de cęremonialibus atq; iudicialibus pceptis accipi
Gal. 5. quemadmodũ & illũ: Euacuati estis à Christo, q in lege iustificamini: Sed tamen de moralib⁹ quoq; prçceptis recte accipi potest, nos sub ijs, nõ esse, sed sub gratia: Verum hoc ad eos solos loqtur Paulus, qui spiritu Dei aguntur, quem-
Gal. 5. admodũ ipsemet ad Galatas scribẽs intpretat: Quod si spiritu, inquit, ducimini, non estis sub
1. Tim. 1. lege. Quod alibi planius etiam explicat inquiens: Lex iusto non est posita, sed iniustis & nõ subditis, impijs, & peccatoribus, sceleratis & contaminatis &c. Talibus. n. lex est necessaria, vt à scelere & licentia reuocẽtur, Nec tamẽ ob id deo placent, qd inuiti faciunt quodãmodo. Cæterũ iusti, & q spiritu ducunt, nõ metu pœnę, neq; adacti à lege, sed lubentes & amore incitati sicut modo dixi, oĩa, quæ Deo legis au-
2. Cor. 3. thori placẽt, faciũt. Ac propterea scribit Paulus: Vbi spiritus dñi, ibi libertas. Hanc aũt iustitiã & hunc spiritũ non habemus ex lege, sed ex gratia Dei p fidem in Christum, sicut idem
Gal. 3. Paulus affirmat. Hæc. n. gratia operatur & efficit

ficit in nobis charitatẽ erga Deũ & proximũ, quæ est finis præcepti, & plenitudo legis. Hinc planũ fit, in quẽ vsum Deus legem dederit, & quomodo nos eam seruare, & secundum eam vitam instituere debeamus tam in moribus & actionibus exterioribus, q̃ in spirituali cultu Dei. Quæ cum perinde sit verbum Dei, atq; Euangelium siue religio nostra Christiana, nõ minus põderis atq; dignationis apud nos eam habere par est, Sic tamen, vt non ex ea Euangelium, sed eam ex Euangelio interpretemur. Nam vsq; in hodiernũ diem velamẽ in lectione veteris testamenti manet positum super cor Hebræorum, sicut testificatur Paulus: quod in Christo euacuatur. Et nũc enim vix, ac ne vix qdẽ lex rectè intelligi potest, sine noua Christi lege. Sed nos procul ab instituto digressi sumus. A VL. Id & ego quidem animaduerto: Sed libenter hæc audiui. Expedit enim cognosse, & est ad id, quod instituimus conducibile, an & quomodo Christianos legem seu testamentum vetus seruare oporteat, & qui eius nunc sit vsus. Quin ego ipse eò te deduxi, cum tu veteris testamenti mentionem faceres, quod de eo, ac non de nouo illa Christi verba accipienda sint: Scrutamini scripturas: Et illa: Nonne ideo erratis, nescientes scripturas?

2. Corinth. 3.

*Manichæorũ & Lutheri error.* pturas? MON. Sic eſt: Et fuit mihi obiter ex-
plodendus error Manichæorum, quem Lu-
*Luth in ſerm. de Moyſe & lege.* therus etiam tuus ſecutus eſt: legem Moſis ad
nos Chriſtianos nihil penitus pertinere. Vt
autẽ redeam ad rem: In veteri lege ſolam ſcri-
pturam ſeq. nos oportere, minus abſurde for-
taſſe quiſpiam cõtenderit: Ea nanq; ipſius Dei
iuſſu in ſcriptis tradita eſt & conſeruata, & eſt
*Deut.27.* in ea ſcriptum: Maledictus qui non permanet
in ſermonibus legis huius: vel, vt eſt apud
*Gal.3.* Paulum, in omnibus quæ ſcripta ſunt in libro
*Ioan. 5.* legis. Chriſtus etiam ipſe iuſsit nos ſcripturas
*Traditiones in ueteri teſtamento.* ſcrutari. Quanquam in veteri quoq; lege mul-
tum eſt loci relictum viuæ vocis traditioni-
bus. Ait enim ſapiens: Non te prętereat narra-
*Eccleſ. 8.* tio ſeniorum. Ipſi enim didicerunt à patribus
ſuis: Quoniam ab ipſis diſces intellectum, & in
tempore neceſsitatis dare reſponſum. Et Deus
*Hier. 6.* ipſe per Hieremiam Prophetam: State ſuper
vias & videte, & interrogate de ſemitis anti-
quis, quæ ſit via bona, & ambulate in ea: Et in-
uenietis refrigeriũ animabus veſtris. Collau-
*Hier. 35.* dat etiam per eũdem Prophetam Rechabitas,
& pollicetur eis præmium, propterea quod ſe-
cuti traditionem paternam, non bibebant vi-
num, & in tabernaculis habitabant, non ædifi-
cantes, neq; ſeminantes, neq; plantãtes vineas.
Quin-

Quinetiam per ipſum legis conſcriptorē Moſen præcepit populo: Si difficile & ambiguum iudicium exiſteret de rebus legalibus, vt non ſcriptura, ſed ſacerdotum ſententia requireretur, qui indicaturi eſſent cuiuis iudicij veritatem: Adiecta etiam pęna mortis, ſi quis ſuperbierit, nolens obedire ſacerdotis imperio. De quo poſtea fortaſsis mihi plura dicenda erunt. Sic igitur vetus quoq; teſtamentum nō ad ſolam ſcripturam contrahitur: nec abhorret à non ſcriptis traditionibus. Cæterum Euangelica doctrina cum ab ipſo quidē Chriſto Dei filio Deiq; verbo, ſola viua voce, & in myſterio ac ſilentio, ab Apoſtolis verò eius eorumq; diſcipulis & ſucceſsoribus non magis ſcriptis, quàm quomodo à magiſtro (ipſo quidem ita præcipiente) tradita, & p vniuerſum terrarum orbem diſſeminata ſit, nihil eſt cauſæ, quin ex æquo verbū dei ſit, & ex æquo apud Chriſtianos authoritatē habeat id, quod ab illis viua voce, & myſterio ipſa actione ꝓditum, & in Eccleſia catholica per lōgam ſuccedentium ætatum ſeriem conſeruatum eſt, q̄ quòd literis & ſcriptis mandatum. Non minus igitur non ſcriptæ traditiones, quàm ſcripturæ Apoſtolicæ nobis in religione, & ijs quæ ad ſalutem pertinent, amplectendæ & ſe-

*Deut. 17.*

*Scripturæ ſacræ atq; traditionis par authoritas.*

 quen-

quendæ, quin, vt Bernardi verbis vtar, pari authoritate Euangelij cunctis recipiendę sunt? Atq; ita hæc duo coniungenda, vt traditionē scriptura confirmet, vel certe non infirmet, scripturam traditio, quę plerunq; magis est p-spicua, interpretetur. Ita fiet, quod ænigmaticè sapiens Solomon scriptum reliquit, vt melius sit, duos esse simul, quàm vnum. Habent enim, inquit, emolumentum societatis suæ: Si vnus ceciderit, ab altero fulcietur: Si dormierint duo, fouebuntur mutuo: Et si quispiam præualuerit contra vnum, duo resistent ei. Funiculus triplex difficile rumpitur. A VL. Quid si traditio contrarium scripturæ vel diuersum doceat? MON. Quid si scriptura scripturæ videatur esse contraria? Sic nobis videtur nonnunquam. Atq; vt diuersitas aliqua possit esse in verbo Dei, siue scripto, siue non scripto, ea tamen, non ex ipso, neq; ex authore eius, qui semper idem ipse est, & nō mutatur, sed ex hominum, ad quos vel propter quos factum est verbum, temporumq;, & aliarum circumstantiarum diuersa ratione prouenit. Cæterum falsitatem, & contrarietatem siue pugnantiam nullam in eo esse Christiano cuilibet persuasissimum esse debet. Sermo enim tuus veritas est, ait ipsa veritas. Cui adstipulans

*Ecclesiast. 4.*

*Diuersitas & contrarietas an sit in uerbo Dei.*

*Psalm 101.*

*Malach. 3.*

*Ioannis 17.*

Pro-

Prophetæ: Fidelia, inquit, omnia mandata eius, confirmata in seculum seculi, facta in veritate & æquitate: ita, vt in ijs neq; falsitas vlla, neq; pugnantia locum habeat. Quod si tamen aliquid eiusmodi occurrat, in quo traditio à scriptura discrepare videatur, non dico maior, verum certior nobis esse debet scripturæ, quàm traditionis authoritas, propterea quòd de hac dubitari fortasse possit; de scriptura vero non possit: quandoquidem hanc decretis Conciliorum ac totius Ecclesiæ Dei certa ap̄pbatione apostolicã esse, & à Spiritu Sancto profectam, dubium non est. Sed cauendum est etiam atq; etiam in interpretatione scripturæ, ne nostras ipsorum, aliorumúe hominum falsas opiniones, vel etiam Diabolicas fraudes pro verbo DEI suscipiamus, certasq; Apostolorum & Ecclesiæ traditiones propter peruersum uel etiam dubium scripturæ sensum abijciamus. Nam et Satan Christum Dominum nostrum tentans, sicut iam prius dixi, scripturis vsus est, verum falso prauoq; sensu eas peruertebat: Et in hoc vsq; tempus idem faciunt serui eius hæretici, & magistri mendaces, atq; etiam alij scioli & arrogantes homines, prauas opiniones suas pro verbo DEI venditantes; Idq; partim

Psalm 110.

Scriptura an traditio magis sequenda sit.

malitia,

*Scriptura non quolibet sensu Dei uerbum est.* malitia, sicut pater ac dominus eorum Satan, partim per ignorantiam, & inscitiam: Neque enim continuò Dei verbum est, quem quisque sibi sensum è scripturis colligit: De quo nunc iam dicendum est. AVL. Recte: Hoc enim erat alterum ex ijs, de quibus dicere proposueras. MON. Non tam plana est, & facilis intellectu scriptura; vt eam quilibet nullo negocio intelligat. *Scripturæ difficultas.* Nam vt interpretum hallucinationes, vt Hebraicæ linguæ ieiunam & concisam breuitatē, vt eiusdem pariter atque Græcę idiotismos & modos loquendi ac scribendi peculiares nobisque inusitatos, vt allegorias denique atque ænigmata prætercam κατάχρησεις certè, hoc est, abusiones verborum, dum propria desunt rerum vocabula, vel per imperitiam sermonis, quam Paulus quidem non dissimulat, admissæ, vel etiam data opera exercendi & excitandi nostri causa à scriptoribus sacris adscitę, sępe lectorē fatigāt. Iam verò res tantæ tamque sublimes, & captum intellectus humani superantes, quas scriptura sacra in se continet, ipsæ per se sunt difficiles, nec vulgo tantum, verū etiam doctis ac sapientibus multum negocij facessunt. *1. Cor. 13.* Per speculum enim adhuc videmus, & in ænigmate, quemadmodum ait Paulus, quoad sumus in hac vita: Post mortem demū

in

in cœlis facie ad faciem contemplabimur. Ioannes verò in Apocalypsi scribit: Se in dextra eius, qui sedebat in throno, hoc est, Dei, vidisse librum scriptum intus & foris, signatum sigillis septem: Quem neq; in cœlo, neq; in terra, neq; subtus terram aperire quisquam potuerit, neq; inspicere, præter Leonem de tribu Iuda, & agnum, hoc est, dominum nostrum Iesum Christum, sicut ipse Ioannes interpretatur. Hic liber licet aliam quoq; possit habere significationem, tamen sacras etiam scripturas veteris simul ac noui testamenti repræsentare non ineptè existimari potest. Vbi cum Ioannes eum intus & foris scriptum fuisse dicit, nihil prohibet, quo minus per interiorē quidem scripturam vetus, per exteriorem verò nouū testamentum intelligamus. Nam illud quidem ab oculis hominum, hoc est, intelligentia Iudæorum prorsus remotum fuit. Vsq; in hodiernum enim diem, inquit Paulus, velamen in lectione veteris testamenti manet non reuelatum. Hoc verò, nouum inquam, licet sit planius, & quasi verberās luce sua aspectum hominum, signatum est tamen mysterijs, nec à quouis legi siue intelligi potest, vt non frustra Christus dixerit: Non omnibus datū est nosse mysteria regni Dei. Atq; hoc ita esse, testis est

Apoc. 5.

2. Cor. 3.

Matth. 13.

g etiam

Hieron. ad Pauli. de insti. monachi. etiam Hieronymus ad Paulinum ita scribens: Totum quod legimus in diuinis libris, nitet quidem & fulget etiam in cortice, sed dulcius in medulla est. Qui edere vult nucleum, frangat nucem. Psalm. 118. Reuela, inquit Dauid, oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua. Si tantus Propheta tenebras ignorantiæ confitetur, qua nos putas paruulos & pene lactentes inscitiæ nocte circundari? Hoc autem velamen non solum in facie Moysi, sed & Luke 8. in Euãgelistis & in Apostolis positũ est. Turbis saluator in parabolis loquebatur, & cõtestãs mysticũ esse qd dicebatur, aiebat: Qui habet aures audiẽdi audiat. Nisi apta fuerint vniuersa, q̃ scripta sũt, ab eo, q habet clauẽ Dauid, qui aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit: nullo alio reserante pandentur. Audis quid doctor hic sanctus, nec seculari tantũ doctrina pstans, verũetiam in sacra scriptura exercitatissimus de scriptis Euãgelistarũ & Prophetarum scribat. Cyrill. in Ioan. lib. 1. cap. 6. Cyrillus verò sic: Nulla nãq; fere verborũ vis tanta est, vt exq̃site ineffabilẽ Dei gloriã possit exprimere. Nõ debemus igitur humilitate verborũ turbari, cũ sciam⁹, pieq; credam⁹, omne mẽtis acumẽ in re diuina hebescere. Sed mittam⁹ sãctos doctores modo. De epist. Pauli scribit Pet. in hec verba:


In

In quibus sunt quædã difficilia intellectu, q̃ in- 1. Pet. 3.
docti & ĩstabiles deprauãt, sicut & cęteras scri
pturas, ad suã ipsorũ ꝑditionẽ. Animaduerte
qd hic scribat de obscuritate, nõ modò Episto-
larũ Pauli, sed etiã cęterarũ scripturarum: quas
nõ esset procliuè peruersis sensib⁹ deprauare, nisi
essent intellectu difficiles. Vtrũ igit̃ hic magis
est habenda fides Luthero homini effrõti & ꝑ-
dito, eiusq; cõparib⁹ (q tamẽ nõnunquã veri-
tate adacti fatent̃, scripturã sacrã intellectu esse
difficilem, nec penit⁹ à se intelligi) an principi Matth. 17.
Apostolo, cui Christ⁹ dñs arcana sua cõcredi- Mar. 9.
dit, regniq; cęlestis claues tradidit? Sed qd op⁹ Matth. 16.
est testibus? Euidentissimũ id est, si qs intueat̃ Hæreses è scri
hæreses, q̃cunq; vnquã int̃ Christianos popu- pturis malè
los extiterũt, earũq; authores. Oẽs quidẽ ij sa- intellectis ex-
cras scripturas legebãt, sed perperã intellige- titere.
bant, vel interpretabantur. Legendo autẽ non
modò nõ correxerunt prauitatẽ suã, verum-
etiam inde prauitatis occasionem pleriq; sum-
pserunt: Certe oẽs ferè scripturarũ authoritate
dogmata sua confirmarunt, & confirmant eti-
am nunc. A VL. At enim Petrus de veteris mo-
do testamẽti scripturis illud dicit, q̃d eę depra-
uantur ab indoctis, & instabilibus. MON. Vni-
uerse scribit: sicut & cæteras scripturas: nõ di-
stinguens, veteris aut noui testamenti. Etiam 1. Corinth. 3.

extabant pleræq; omnes noui testamenti scri-
2. Pet. 3. pturæ, cum hæc scriberet Petrus, paulò ante
mortem suam, sicut ipsemet indicat. De vtrisq;
igitur intelligit. Cui rei argumento est illud,
quòd multi hæretici non de veteri testamen-
to, neq; ex Epistolis Pauli, sed ex alijs noui te-
stamẽti scripturis prauorum dogmatum suo-
rum occasionem & confirmationem accepe-
runt, deprauantes eas ad suam ipsorum perdi-
Cerdo. tionem. Ac ne dubites. Cerdo, à quo Cerdoni-
ani hæretici propagati sunt, non veteris testa-
menti, quod neutiquam recipiebat, sed Euan-
gelicis scripturis dogma suum defendebat, as-
serẽs, duos esse deos sibi inuicem aduersos, al-
terum malum, siue seuerum ac truculentum,
1. Ioan. 5. huius mũdi in maligno positi, sicut scribit Io-
Ioan. 12. 14. annes, conditorem, & veteris testamenti au-
16. thorem, quem Christus principem huius mũ-
2. Cor. 4. di, Paulus verò deum huius seculi appellarit:
alterum autem bonum, clementem, & beni-
Ioan. 6. gnum, patrem domini nostri Iesu Christi, cu-
ius voluntas sit, vt nihil eorum pereat, quæ
ipse ei dedit, sed quisquis crediderit in eum,
Manichæi. habeat vitam æternam. Manichæi quoq; ve-
tus testamentum reijciebant, Euangelicis au-
tem solum & Apostolicis scriptis varias &
portentosas opiniones suas cõfirmabant. Iam
Paulus

Paulus Samosatenus & Photinus famosi hæretici ex illis Christi verbis à Ioanne Euangelista conscriptis: Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quē misisti Iesum Christum: dogma suum peruersum hauserunt, asseuerantes Christum Iesum non esse verum Deum, ac tum demum eum esse cœpisse, quando ex Maria natus est. Itidem Sabellius, non tres esse personas in diuinitate, sed vnicam, asserēs, quæ tribus appelletur nominibus. Illa quoq; ex eodem Euangelio verba subsidio sibi sumebat: Ego & pater vnum sumus. Apollinaristæ verò, qui affirmabant, homines bonos ac Deo gratos post resurrectionem edendo & bibendo corporis voluptatibus fruituros esse: quod dogma Mahometes à Sergio monacho haustum, Saracenis, Turcis, atq; Tartaris reliquit: vnde erroris sui occasionem acceperunt? an non ex Euangelio Lucæ, vbi scriptum est: Beatus qui manducabit panem in regno cœlorum? Quæ verba licet Iudæi sint, à Christo tamen reprehensa nō sunt: imò alibi apud eundem Euangelistam confirmasse is videtur eam opinionem, ad discipulos suos ita loquens: Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus regnum, vt edatis & bibatis super mensam meam in re-

Paulus Samosatenus. Photinus. Ioan. 17.

Sabellius.

Ioan. 10.

Apollinaristæ.

Mahometes.

Luce 14.

Luce 22.

Nouatiani. gno meo. Nouatus quoq; negās peccatoribus
Hebr. 6. pœnitentiā, Paulū authorem se habere iacta-
Circumcelliones. bat. Quid Circūcelliones? An nō Euangelicis
Christi verbis nitebantur; cū vltro vitā suam
periculis obijcerent, & voluntariam mortem
per præcipitia cædesq; mutuas cōsectarentur,
obuiorumq; manus & arma in se prouocarēt?
Dicit enim, inquiunt, Christus: Qui amat ani-
mam suā, perdet eam: & qui odit animā suā in
hoc mūdo, in vitā æternā custodit eā. Sed mit-
tamus veteres hæreses, quæ iampridē extinctæ
Sacramentarij. sunt. Sacramētarij Christū in Eucharistia verè
esse negātes, an nō scripturā illā iactitāt: Chri-
Acto. 3. stum oportere cœlū suscipere vsq; in tēpora re-
Adamitæ siue Nicolaitæ, & Hortēses fratres. stitutionis omniū? An nō Adamitæ, quos nūc
vulgo alicubi Hortēses fratres vocāt, dū promi-
scuos pecudū in morē vsurpāt cōcubitus, scri-
Gen. 1. pturā pro se habēt, nō modo illā: Crescite & mul-
Acto. 2. tiplicamini, verūetiā illā ex actis Apostolorū:
Quod Apostolis erant oīa cōmunia? Et habēt
vetustū eius scripturæ ineptē Nicolaū vnū de
Tit. 1. septē diaconis. An nō illam quoq;: Oia mūda
mūdis? Quo adulteria quoq; & homicidia, &
incestus, & quæ cōtra naturā fiūt, defendi pos-
Caluiniani. sunt. Quid illud siue Caluini, siue Melāchtho-
nis & Lutheri dogma, q deū peccati oīs autho-
rē faciunt? Nōne & ipsū scripturā pro se habet?
Amos 3. Si erit, inquit Amos, malū in ciuitate, qd dñs nō
fecerit?

fecerit: Et Hieremias: Scio dñe, qa nõ est hois Hier. 10.
via ei⁹: nec viri est, vt ambulet, & dirigat gres-
sus suos. Et deus ipsemet in Exodo: Ego indu- Exod.
rabo cor Pharaonis, & seruorũ eius. Ne Suec- Suencfeldius
feldius qdem ad euertendã authoritatem scri-
pturę & externi ministerij verbi Dei scripturę
testimonio destituitur. Dicit. n. Deus per Pro-
pheram: Et erunt oẽs à Deo docti. Non doce- Hier.
bit vnusquisq; fratrem suũ dicens: Cognosce
dñm. Quia oẽs scient mea minore vsq; ad ma-
iorem. Itemq; Ioannes: Non necesse habetis, vt 1. Ioan.
aliquis doceat vos. Ad eundem modũ pluri-
mæ aliæ hæreses è peruersa scripturarum noui
ac veteris testamenti intelligentia extitêre, &
existunt. Qua de re ita scribit Origenes: Quo- Orig. in Mat.
niam diximus abominationem desolationis
stantem in loco sancto esse mendacij verbũ, qd
in loco scripturarũ sancto stare videt, dicet ali-
qs, Et quomodo quasi nõ stante ea illic, ita di-
cet aliqs discipulus Christi: Ecce hic Christus:
ecce illic: Alius autem dicet: Ecce in solitudine
est: alius autem, ecce in domibus. Vide ergo, si
ad hæc dicere possumus, quòd ait: Ecce hic, ec-
ce illic: quoniã ecce hic, ecce illic, nõ extra scri-
pturam foras adspiciendũ est. Dicet enim qui
seducere voluerit nos, & defẽdere cõtraria ve-
ritati: Ecce hic Christ⁹, demõstrãs, verbi gratia
hũc Eũgelij locũ: Alterius aũt erroris author
dicet:

dicet: Ecce hic Christus, offerẽs ad exemplum alterum textum, qui videtur defendere mendacij illius verbum, quod proposuit vindicare: Et sic ex lege, & Prophetis, & Apostolis profert vnusquisq;, quæ videntur defendere mendacium illud, vt pote veritatem. Et mox; Erunt autem & alij plures, qui dicturi sunt discipulis ex diuinis scripturis, coniungentes illis suum proprium sensum, Ecce hic Christus, ecce illic. Audin' quid hic scribat? Quod Augustinus quoq; confirmat, ita scribens: Non aliũde natæ sunt hæreses, & quædam dogmata peruersitatis illaqueantia animas, & in profundum præcipitantia, nisi dum scripturæ bonæ intelliguntur non bene, & quod in eis non bene intelligitur, etiam temere & audacter asseritur. Ne igitur persuadeas tibi, quemuis hominem recte intelligere posse scripturas, ijsq; fretum errare non posse. AVL. Verum docti tamen & stabiles probe eas intelligunt. Petrus enim de indoctis modo & instabilibus scribit, quod eas deprauant. MON. Si doctos intelligis, doctrina seculari, vtpote acumine disputandi, eloquentia, & Philosophia, siue quæ naturas, motus, & causas rerum cœlestium pariter ac terrenarum persequitur, siue quæ circa mores & actiones humanas, reiq; familiaris [illegible] & publi-

*Aug. in Ioan. tract. 18.*

*Heretici docti & in scripturis exercitati.*

& publicæ administratione versatur, instructos, aut etiam in scripturis sacris exercitatos, vtraque ista doctrina excelluere omnes ferè prisci hæretici, dudum à me commemorati: Et tamen deprauabant ij scripturas ad suam ipsorum & multorum aliorum perditionem. Et Paulus Timotheo scribit, quod quidam, non rudes & stupidi, sed promittentes falsi nominis scientiam, circa fidem exciderunt. Nostri quoque temporis hæretici complures eiusmodi scientia siue doctrina præditi sunt. Quin stolidus & indoctus homo vix nouū aliquod dogma comminisci, aut ab alio inuentum tueri & propagare potest: Vt sanè ad quodlibet magnū facinus ingenio magno opus est. Ne Satan quidem acumen illud ingenij & sapientiā, quam à Deo cum crearetur accepit, per peccatum amisit: Et vel tanti temporis experientia, rerumque tam præsentium & futurarum, quàm præteritarum, cœlestium iuxta ac terrenarum notitia omnem humanam doctrinam longe superat. In scripturis quoque sacris exercitatissimus est: quod quidem aliqua ex parte planū ipse fecit, cum filium Dei in deserto tentaret: Et tamen deprauabat etiam tunc scripturas. Erat'ne autem illud verbū Dei, quod is & vasa ac instrumenta eius hæretici supra memorati

1. Tim. 6.

Matth. 4.

h pro

pro se facere iactabant, & iactant etiamnum: Imò mendacia verbo dei contraria eo quidem sensu, quo illi ea volebant & volunt accipi. Atq; id quidem planum est. Etenim Christus dn̄s; & Ecclesia eius, q̄ ex Deo est, & verba dei audit, scripturas illas eo sensu nō audiebat, neque audit: Et increpuit aūt diabolum dn̄s: Ecclesia verò spiritu dn̄i gubernata, vetustos illos seductores & hęreticos cum dogmatibus ipsorū damnauit. Quod si ea diuina ac verbo Dei consentanea fuissent, durassent oībus creaturis inuitis, secundū illud, q̄d Gamaliel ad principes Iudæorum de doctrina Christi dixit: Si ex

Acto. 5. Deo est consiliū hoc vel opus, nō poteritis id dissoluere: Et secūdū illā Esaię scripturā: Verbū dn̄i manet in ęternū. Eademq; Ecclesia, ista quoq; nouitia dogmata cum authoribus suis damnat, & funditus ꝓculdubio Dei ope euertet. Proinde quantūcunq; doctus & in scripturis exercitatus qs fuerit, eius inťpretatione niti

Acto. 20. nos non oportet. Vt enim is quam rectissimè scripturam intelligat, potest eam tamē improbè in prauum sensum detorquere, quo multitudinem seducat, ac discipulos post se abducat: Quod sæpe hæretici faciunt: Tametsi nullus eorum iurare dubitauerit, ita se interpretari, vt intelligit. A VL. Cur igitur Petrus, indoctos

doctos tantum & instabiles deprauare scripturas ait? MON. Indoctos hic non eos intelligit, qui nulla doctrina praediti sunt. Talibus enim difficile est deprauare scripturas: Sed eos, de quibus etiam Paulus scribit: Si quis autem se existimat scire aliquid, nondũ cognouit quomodo oporteat eũ scire. Quasi dicat: Si qs doctrinam sibi arrogat, & sapientia sua nititur, is nihil scit, etiamsi doctissimus esse videatur. Deus enim, à quo est vera doctrina & sapientia, supbis resistit, quemadmodũ Petrus & Iacobus testificãtur, humilibus aũt dat gratiam. Et dominus ipse gratias agit Deo patri, quod mysteria sua absconderit à sapientibus & prudentibus, & reuelauerit ea paruulis, hoc est, humilibus; qui licet sint docti ac sapientes, non praefidunt tamẽ intelligentiae suae, sed captiuant eam, & in obsequium Christi redigũt. Haec est vera Deoq; grata doctrina & sapientia: quam quomodo nos adipisci oporteat, docet Paulus. Si quis, inquit, videtur int̃ vos sapiens esse in hoc seculo, stultus fiat, vt sit sapiens. AVL. Quid hoc sibi vult? Nunquid vult Paulus, vt quispiam obbrutescat, nec vtatur praeclaro DEI dono doctrina ac sapientia? MON. Nequaquam hoc requirit Deus: Imò CHRISTVS ostendit, quisquis cõmisso sibi à Deo talento hõ negociatur, cum

*Indocti & instabiles.*

1. Cor. 8.

1. Pet. 5.

Iac. 4.

Matth. 11.

2. Cor. 10.

1. Corinth. 3.

Matth. 25.

extremum cõmereri supplicium. AVL. Quid igitur sibi vult illud: Stultus fiat. MON. Ne de se ipse arroganter sentiat, neue præfidat intelligentiæ suæ: Quod facere plerumq; solent ij, qui aliquam assecuti sunt doctrinæ & sapientiæ opinionem. Atq; id Paulus significat, cum dicit: Scientia inflat. Eiusmodi autem persuasionem, quam Petrus iuxta ac Paulus inscitiam vocant, inconstantia comitatur. Quoties enim quis intelligentia sua nititur, non acquiescit in eo, quod aliunde didicit, sed eo proiecto: aliquid aliud ipse excogitat, quo ostentet sapientiam ac doctrinam suam. Qua cum superbe tumeat, fit iusto Dei superbis resistentis iudicio, vt lumine diuino destitutus, ac sibi ipsi relictus, temere quiduis amplectatur, redargutusq; à quopiam, aut ipse sibi displicens, illud quidem, quod dudum asseuerabat, reijciat: aliud verò quippiam diuersum à priori, vel etiam contrarium arripiat, eademq; temeritate & confidentia defendat, ne diuersum sentientibus cedere videatur. Hinc sanè existit hæreticorum inconstantia; qua Lutherum & ceteros nostri temporis hæreticos laborare heri euidenter demonstratum est. Iure igitur ac rectè Petrus eiuscemodi inscitiam, qualem ibi vult intelligi, & qualẽ ego è Paulo, & alijs scriptu-

1. Cor. 8.

Indocti ijdem & instabiles.

ris

ris explanaui, cum inconstantia coniungit. Quæ cum ita se habeant, in nullius, quamuis docti & sapientis hominis intelligentia & interpretatione scripturę acquiescere nos oportet: propterea quod & errare is posit, & in errorem mittere. Omnis enim homo mendax, ait Psaltes. AVL. Quantumuis enim sanctus, doctus, ac sapiens quispiam sit aut fuerit, homo certè est vel fuit, ignorantiæ & errori, quę duo mala omne genus mortalium ex originali peccato contraxit, obnoxius. Cuius sententiæ adstipulatorem habeo Augustinum, ita scribentem ad Hieronymum: Ego fateor charitati tuæ, solis eis scripturarum libris, qui iam canonici appellantur, didici hunc timorem honoremq; deferre, vt nullum eorum authorem scribendo aliquid errasse firmissime credam. Ac si aliquid in eis offendo literis, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quàm vel mendosum esse codicem, vel interpretem non assequutum esse quod dictum est, vel me minimè intellexisse non ambigam. Alios autem ita lego, vt quantalibet sanctitate doctrinaq; prępolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi vel per illos authores canonicos, vel probabili ratione quod à verò non abhorreat, persuadere potuerunt. In eandem

*Non acquiescendum esse in cuiusquam hominis interpretationi scripturæ.*

*Aug. ad Hieron. Epist. 19.*

dem ſententiam ſcribit etiam ad Vincentium Donatiſtam. Aliquot exempla tibi proferam, vbi præſtantis ac probatæ doctrinæ viri, inſigni etiam vitæ ſanctimonia præditi in interpretatione ſcripturæ errarunt. Tertullianus ante mille trecentos annos celeberrimus vir fuit, et inſigni doctrina ſcripturarumq; peritia præditus, et multa præclare ſcripſit contra hæreticos: Et tamen male intellexit ſcripturam ſacram, vbicunq; membrorum ac ſenſuum dei fit mentio. Videtur .n. exiſtimaſſe Deum eſſe corporeum. Animam quoq; humanã & angelos corporeos eſſe opinatus eſt: Qui vterq; error eſt ingens. Hallucinatus eſt etiam diſcipulus eius Cyprianus, ſanctus ac doctiſſimus Epiſcop9, & ad extremũ ꝑ nomine Chriſti martyr factus, aſſeuerans baptizatos ab hæreticis, denuó baptizari oportere; Cumq; errorẽ ſcripturis male intellectis confirmabat. Origenes Adamãtius cũ ꝓfana doctrina, tum ſacrarũ literarũ peritia p̃ſtans, tanta fuit dignatione & authoritate, quaqua ſeſe diffũdebat Chriſtiana religio, vt magni & ſapientes viri, nõ tantum Chriſtiani, ſed Ethnici etiã ad eũ vndiq; concurrerẽt, nec ſecus quã in prophetica aut apoſtolica, in eius ſententia & interpretatiõe ſcripturæ plurimi acquieſcebãt: Vitę q̃q; integritate

*Tertulliani errors*

*Cypriani:*

*Origenis:*

tate & ſanctimonia iam inde à pueritia excelluit, ita vt puer etiamdum martyriũ expetiuerit. Deniq; ſex millia librorum cõſcripſit, ſicut teſtificantur Euſebius, Epiphanius, Hieronymus. Et tamen perperam ſenſit de reſurrectione corporum, de ſaluatione dæmonũ & hominũ damnatorũ, de migratione animarũ è corporibus in corpora, & quod eæ pariter omnes ab initio creatę à Deo, propť peccata in cœlo ꝑpetrata in mundũ relegantur, & in corpora quaſi in carceres quoſdam includantur: In his & nonnullis alijs dogmatibus vehementer errauit, authoritate ſcripturarum non deſtitutus. Auguſtini doctrina & ſcripta in magno etiamnum præcio ſunt: nec modò apud recte ſentientes, verumetiam apud hæreticos. Scripſit is tamẽ libros retractationum, in quibus errores ſuos in doctrina & interpretatione ſcripturarũ corrigit. Quin & poſt eum alij nõnulli annotarunt quædam in ſcriptis eius, quæ ipſe prętermiſerat, recte ne an ſecus, nunc non diſputo. Extant etiam Epiſtolæ eiuſdem Auguſtini & Hieronymi inter ipſos vltro citroq; ſcriptæ, quibus vehementer contendunt inter ſe de ſenſu ſcripturę illius è Paulo: Cum autẽ Cephas veniſſet Antiochiam, reſtiti ipſi in faciem: quia reprehenſibilis erat. Quod ſi

*Euſ. hiſt. Eccl. lib. 6.*
*Epiph. contra hęreſ. lib. 2. to. 1.*
*Hiero. de uiris illuſtr.*
*Auguſtini.*
*Galat. 2.*

tam præstantibus ac doctis viris accidit nonnunquam, vt intelligentia & interpretatione scripturarum hallucinaretur, quid existmandum est de ijs, qui & acumine ingenij & scripturarum peritia minus valeāt? AVL. Sic est: Vnus homo omnia animaduertere & nosse non potest. Cæterum vbi aliquot docti ac sapientes in eadem sententia & interpretatione scripturæ cōsenserint, ibi veritatem esse oportet. Ait enim Christus: Vbi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Vbi vero Christus est, ibi veritas.

Matth. 18.

*Schismatici non congregantur in nomine Christi.*

MON. Non est nouum, nec inusitatum hæreticis, de paucitate gloriari. Tametsi solent ij nōnunquam etiam paucitatem sibi inuicem exprobrare, vt est videre in concertationibus inter Ioa. Vestfalum & Caluinum, & tempore Augustini inter Maximianistas ac cæteros Donatistas. Cæterum Christus in illis verbis, quæ tu modo recitasti, neque paucitatem, neque multitudinem spectauit, sed concordiam: nec eam quamlibet, sed quæ in nomine suo coaluerit. Id autem non ex verbis, aut manicis, aut vultu, totius'ue corporis habitu, sed reipsa iudicandū est. Illi quidem non in nomine Christi congregantur, qui consensum & concordiam Christiani populi, ad quam alendam &

Ioan. 17.

confer-

conſeruandam ipſe Chriſtus diſcipulos ſuos in primis exhortatus eſt,& pro qua Deum patrem magnopere orauit,rumpunt,ſingulareſq; opiniones atq; interpretationes ſcripturæ cōminiſcuntur,& pertinaciter tuentur. Qua de re etiam luculente ac diſerte ſcripſit ſanctus martyr Cyprianus,& ego fortaſsis poſtea plura dicam.Ne te igitur moueat vel paucitas,vel multitudo. Perinde multi errare poſſunt,ac pauci,ac vnus etiam, ſi non fuerint in Chriſti nomine congregati. Ac ideo Deus per Moſen Iudæis ita præcepit: Non ſequeris turbam ad faciendum malum,nec in iudicio,plurimorum acquieſces ſententiæ, vt à vero deuies. Non exiguus fuit numerus eruditorum ac diſertorū Epiſcoporum cum Donato in Aphrica; qui damnabant baptiſmum paruulorum: Non exiguus Tyri, Antiochiæ, Medioſani, Syrmij, Arimini, qui Arij dogma approbabant.Ingens etiam fuit cœtus Epheſi in altero concilio, ſiue cōciliabulo cum Dioſcoro Alexandrino patriarcha,vbi peruerſum Eutychetis dogma comprobatum fuit. Et omnes ij Chriſti nomen obtendebant, ſcripturiſq; ſeſe tuebantur: Nec tamen verbum Dei erat illud, ſed falſa ac verbo Dei contraria doctrina, quā damnauit Eccleſia catholica. Iam & cum Ne-

Cypr. de unitate Eccl.

Exo. 23.

Hereticorum conuenticula.

ſtorio non pauci ſentiebant Epiſcopi, χριστοτόκον ac non θεότοκον Mariam dici oportere è ſcripturis aſſeuerantes. Ceſſere tamen ad extremum, non ſcripturis, ſed patrum & Eccleſiæ authoritate ſuperati. Modò quocꝫ non ſolus Zuinglius quatuor illa verba ſcripturæ: Hoc eſt corpus meum: peculiari quodam ſenſu interpretatur. Congruunt cum eo (tametſi non ꝑ omnia) Caluinus, Bulingerus, Capito, Beza, Ochinus, Laſcus, Caroloſtadius, Oecolampadius, Berengarius: Nec ſcio an & Oſiander, & Suencfeldius: Nonnunquam & Bucerus, & multi alij. Diſſentit Lutherus, quamuis inuitus, quemadmodum ipſe alicubi non diffitetur. Cum Luthero autem faciunt Brentius, Vrbanus Regius, Iuſtus Ionas, Pomeranus, Amſdorfius, Illyricus, Sneppius, Georgius Maior, Sarcerius, Ioachimus Veſtfalus, & multi præterea. Vtrincꝫ ſunt docti & in ſcripturis exercitati viri, ſpeciem pietatis præ ſe ferentes, & qui non putant, ſed certo ſibi alijſcꝫ perſuadent, ſe ſpiritum Dei habere, & quaſi è ſecretiore Dei conſilio prodeuntes, in nomine Chriſti ſe conuenire. Vtriſcꝫ adhęrēt plurimi homines, ciuitates, atcꝫ populi. Penes vtros igitur erit verus verborum illorum ſenſus, & verbum DEI? Penes illos'ne, qui pro

*Luth. ad Argentin.*

Hoc,

Hoc, accipiunt hic panis: & pro est, erit, aut fiet: vsu scilicet vniuscuiusq; sumentis, ita vt mendacij coarguatur veritas, quæ id manu tenens, prius quàm à quoquam Apostolorum sumeretur, dixit: Hoc est. Quid autem hoc est? nempe, quod alteri irridentes eos dicunt: Deus impanatus, siquidem est ibi simul panis & corpus Christi. Penes hos'ne igitur est verbum Dei? an penes illis potius, qui ita interpretantur: Hoc, non est, sed significat, corpus meum; vel, est quidem, sed non corpus meum, verum figura eius: vel, corpus quidem meum, sed nõ illud, quod pro vobis tradetur, & quod sedet ad dextrã patris: vel est quidẽ illud ipsũ, sed non hoc, quod præsens exhibetur & manducatur, sed quod fide sola cœlos penetrante sumitur, ita vt nihilominus vmbra corporis potius sit, quàm corpus: & non vno modo falsum dixisse videatur veritas? Hi'ne igitur, an illi rectius nobis verbum Dei, & quidem breue ac perspicuum, interpretantur? Soluat nobis hunc nodum nutabundus Melanchthon (quò se adhuc adduci passus non est) vel conciliator dissidẽtium Vergerius. Equidem nolo hic asserere, vtrosq; perperam intelligere & intẽpretari, siue adeo deprauare scripturã, veri-

 tatem-

tatemq; mendacij, vel veteratoriæ cuiusdam peruersitatis, si non verbis, certe re ipsa coarguere, commenta humana, ne dicam diabolica pro verbo Dei sequentes, & alijs obtrudentes: Illud dico, secundum dictamen rationis fieri non posse, quin si hi recte scripturam illam intelligunt et interpretantur, illi errent, sin illi recte, hi perperam. Esse quidem potest, (vt est sanè) vtrique vt perperam: Vt verò vtrique rectè, non potest, cum inter se pugnent. Sed sequatur tandem quis hos aut illos: an non homines sequetur? An non erit obnoxius propheticę illi maledictioni? Maledictus qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum. Nulla certè prophetia scripturæ propria fit interpretatione, quemadmodum scribit Petrus. AVL. Vbi igitur veram istam ac certam interpretationē quæremus? MON. Aiunt isti nouatores, quod scriptura se ipsa interpretetur. Quod enim vno aliquo in loco obscurius scriptum est, aut minus plene explicatum, alibi planius & luculentius expressum reperitur. Est id quidē nonnihil: Fit enim non raro, vt rectè scriptura vna per aliam declaretur. Sed non satis tamen certa, imò fallax, hæc est regula. Ita quidem est, quòd scriptura alia planior & luculentior est, quàm

*Hier. 17.*

*2. Pet. 1.*

*Interpretationem scripturæ per scripturam non esse certam.*

quàm alia: Verum fit etiam crebro, int̃ diuersas scripturas vt hæc vni videatur esse planior, illa alteri: Interdum non magis hæc, quam illa. Et offerunt sese nõnunquam vna & eadem de re pugnantes in speciem scripturæ: Quibusdam etiam de rebus vnica extat, & ea quidem minimè plana. Quid igitur hic fiet: Vnde petetur int̃pretatio? Vis'ne aũt exemplis hæc tibi probẽ? AVL. Imò plurimũ te rogo. MON. En tibi. Pater maior me est, dicit dñs apud Ioannem. Et alibi: Ascendo ad patrem meũ, & patrem vestrum, Deum meũ, & deum vestrũ. Est porrò & alia scriptura: Ego & pater vnum sumus: Et apud Paulũ: Qui (Christus videlicet) cum in forma Dei esset, non rapinã arbitratus est, esse se æqualẽ Deo. Hæ scripturæ duę quidem priores congruunt inter se, itemq; posteriores: verum hæ cum illis videntur pugnare. Quonã igitur modo aliã p aliam explanabis? Has ne duas posteriores p priores, quẽadmodũ faciebant Arriani et Eunomiani defendentes dogma illud suũ, q̃d filius Dei Christus Iesus nõ sit verus deus, aut nõ ęqualis neq; similis in diuinitate Deo patri? An priores illas p posteriores, quẽadmodũ Alexander & Athanasi9 Alexandrini Episc: int̃pretabantur Arrium refellentes? In vtramlibet partẽ inclinaueris,

Ioan. 14.
Ioan. 20.
Ioan. 10.
Phil. 2.

ris, quæram ex te, quare sic, ac nõ aliter? Et cur istas scripturas p illas exponis, ac nõ illas potius per istas? Quanquã nõ esset hoc scripturã vnam per aliam inẽpretari, sed vnam ad aliam torquere, cum eæ videantur esse inẽ se contrariæ. Quod si dicas, has esse planiores q̃ illas, alij verò cuipiam contra, illæ, quã hæ, planiores esse videantur, quis inter vos controuersiã dirimet? Si pro te faciunt Alexander & Athanasius, pro illo Arrius & Eunomius: Sin hi p te, illi pro illo altero. Atq; omnes tamen hi, quamuis docti Sacerdotes & Episcopi, homines tamen fuerunt, errare potuerunt: Quod si ad probabilitatẽ confugies, vtræ de illis scripturis planiores sint, Arrij quidem iudicio, illa non admodum plana est: Ego & pater vnũ sumus. Potest enim fortassis hoc accipi non de vna natura siue essentia, verum de vna voluntate, amore, & concordia: sicut alibi itidem illa eiusdẽ Christi verba accipiuntur, vbi Deũ orat pro discipulis suis & pro ijs, q per eos in se crediderint, vt vnũ sint: Quod nõ potest accipi de vnitate naturę, sed volũtatis, deq; amore mutuo & cõcordia. Statim enim ibi subdit: Sicut & nos (nempe tu & ego) vnum sumus: Quibus verbis Arrius & Eunomius potissimum nitebantur, asserẽtes, eam cõparationem vnitatis

*Heretica interpretatio scripturarũ.*

*Ioan. 17.*

vnitatis hominũ int̃ ipsos cum ea, quæ est int̃ Deum patrẽ & filiũ eius dñm Iesum Christum eodem modo accipi oportere. Cum autẽ vnitas illa, quam suis ibi petit Christus, nõ nisi de vnitate voluntatis, amoris, concordiæq;, quã etiam inter diuersas naturas, velut inter hoĩes & angelos, reperire licet, accipi possit, ne illã quidem quæ est inter Deum patrẽ & filiũ aliter accipi debere. Aliter, nõ apta nec bona, esset ea comparatio: Non magis quam si quis dicat: Homo & aquila, sunt int̃ se similes. Aquila enim cernendi, homo aũt intelligẽdi acumine præditus est. Quin aptior etiam hæc esse apparet. Etenim visus & intellectus vtrunq; tamen accidens est, quanquam non eiusdem generis, est tamen inter ea nonnulla similitudo: qualis inter essentia & accidẽs (quo in genere est voluntas, amor, & cõcordia) esse non potest: lõgè minus vnitas. Altera quoq; illa scriptura è Paulo: Qui cum in forma Dei esset &c. nõ admodum plana cuiquam videri potest. Posset enim sic accipi: Christum dñm in forma Dei fuisse, hoc est, similem Deo intelligentia & sapientia: sicut alibi scriptura dicit, hominem creatũ esse ad imaginem siue formam & similitudinem Dei; nec tamẽ homo est Deus. Spiritus etiam sanctus in specie siue forma colum- *Gen. 1.* *Mat. 1.* *Luce 3.*

bæ

bæ post baptismum Christi apparuit: Nec tamen is columba fuit. Quod si maximè per formam illam diuinitatem accipi oporteret, id quod reuera verbis illis ( Non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo ) significatur, aliquis tamen alius arripiens ea verba, quæ statim sequuntur: Sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens: diceret, Christum suscepta serui, hoc est, hominis forma, Dei formam amisisse, aut vnam naturam siue Essentiam ex humanitate atque diuinitate commixtam et confusam extitisse. Quod quidem Eutyches hæreticus videtur secutus esse. Vides vt neutiquam planæ & faciles intellectu sint hæ scripturæ? Sic item aliæ, quas Ecclesia pro se habebat aduersus hæreticos. Planiores esse videbantur Arrio & Eunomio illæ, quibus se tuebantur. Quid enim, inquiunt, planius dici potuit illo? Pater maior me est. Non potest profecto ea maioritas (vt sic dicam) secundum staturam intelligi. Statura enim in corpore est, Deus autem corpore caret. Atque ita necessario intelligendum est, secundum essentiam, aut certè secundum eas proprietates, quæ incorpoream essentiam consequuntur: quales sunt virtus, potestas, authoritas, sapientia, bonitas, & cæt. Quæ in diuinitate non sunt diuersa ab essen-

*Eutychetis error.*

essentia, sed sunt ipsa Dei essentia. Id verò si affirmes, ademeris filio dei diuinitatem. Nec minus aperta ipsis videbatur esse & altera illa: Ascendo ad patrem meum, & patrem vestrũ, Deum meum & Deum vestrum. *Ioan. 20.* Quibus verbis videtur Christus ad Apostolos homines sese adiungere, & à Deo disiungere, appellans eum cum ex ęquo ipsis patrem ac deum suum. Cum autem nos filij Dei, nec tamen natura dij simus, idem de Christo domino hæreticus intelliget. Confirmabitq; opinionem suam sequentibus illis verbis: Deum meum, & Deum vestrum. Deus enim supra se alium Deum nõ habet, nec potest habere: quandoquidem Dei nomine id venit, quod est omnium summum, *Deus quid sit.* et à quo res omnes cæterę existunt, conseruantur, & gubernantur. Quod si dicat quis, illud: Pater maior me est: secundum humanam naturam à Christo dictum esse: itemq; illud, Deum meum, & Deum vestrum: Hoc iam non fuerit scripturam per scripturam interpretari. Nihil enim eiusmodi extat neq; in hac vtraq;, neq; in illa alia scriptura: In contrarium autem est illud, quod Christus exinaniuit semetipsũ, formam serui accipiens. Viden' quo te adducet istiusmodi scripturæ per scripturam interpretatio, vt vel grauiter erres, vel certè in dubita-

tionem venias, & aliunde harum scripturarum interpretationem quærere necesse habeas? Excutiamus autem & alias. Scribit Paulus ad Corinthios: Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt. Christus autem apud Lucam dicit: Et ego vobis dispono locum, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo. Vtram ex his per alteram interpretaberis? Si posteriorem per priorem, ilico vnum de duodecim articulis fidei, nempe de resurrectione corporũ à morte, abieceris: Sin illam per hanc, in alium non minus grauem errorem incideris, quod in regno Dei ac cœlesti comesturi ac bibituri simus, & alijs voluptatibus corporis fruituri. Tametsi videntur hæ scripturæ inter se esse contrariæ, vt neutram per alteram recte exponere queas. Possent plures eiusmodi scripturæ in medium afferri, quas per alias scripturas interpretari non liceat, aut si interpretêre, vix errorem effugias. Quale est de stirpe & genealogia CHRISTI diuerse à Matthæo & Luca descripta: Aut vbi Euangelistę fratrum domini mentionem faciunt: aut quod is fuit primogenitus matris suę. AVL. Iam & ego ipse animaduerto, ita se rem habere. Cum igitur neq; humanis interpretationibus, neque ijs, quæ per alias scripturas fiunt,

1. Cor. 15.
Lucæ 22.
Matth. 1.
Lucæ 3.
Mar 3.
Lucæ 8.
Ioan. 7.
Matth. 1.

sunt, niti & fidere nos oporteat, vnde verum ac certum sensum sacrę scripturę petemus? MON. Inde vnde scripturam ipsam habemus: A Deo nimirum, cuius inspiratione euangelistę ac cæteri apostoli scripserunt, quemadmodum testificatur Petrus. Dauid sanè ita canit: Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua. Et iterum: seruus tuus ego sum, da mihi intellectum, vt sciam testimonia tua. Et alibi: Beatus quem tu erudieris domine, & de lege tua docueris eum. Lucas verò scribit de apostolis: Tunc aperuit illis sensum (nimirum Christus dominus verus Deus & homo, leo de tribu Iuda, & agnus, qui habet clauem Dauid) vt intelligerent scripturas. AVL. At enim Christus pridem in cœlum ascendit, nec loquitur inde nobiscum: neque per angelos, aut visa & somnia nobis voluntatem suam et sensum scripturarum aperit. Nisi forte aliter tu sentis cum Suencfeldis. MON. Absit. AVL. Apostoli etiã, à quibus veram interpretationem earum, atq; adeo traditiones quoq; viuę vocis, et in mysterio, in scripturis non extantes, de quibus dudũ locutus es, haurire nos oportebat, pridẽ è viuis excesserũt. MON. Vera sunt quę dicis: sed nõ habet tamen deus derelictui populum suũ, quem sibi delegit Hebręis

*Scripturæ vera interpretatio à Deo petenda.*

*2 Pet. 1.*

*Psal. 118.*

*Psal. 93.*

*Lu. 24.*

temporariam legem dederat, scripturamque sequi eos iusserat, sicut audisti, & tamen diligenter eis hac in parte prospexit, si quid difficile & ambiguum occurreret, de quo nihil extaret in scriptura, aut quod inde explicari non pos-

Deut. 17. set. Indicauit enim, vnde id petendum esset: iubens, vt sacerdotes præsidentes loco, quem ipse elegerit, de eo consulerent, qui indicaturi ipsis essent iudicij veritatem: Eorumque sententiam omnino sequi eos voluit, non declinantes ad dexteram, nec ad sinistram. Si in veteri testamento, Deus Hebræis, quibus solis ad tempus id dabat, tam diligenter prospexit, lōgè minus existimandum est, in nouo, quod viua voce traditum, cunctis populis atque seculis seruire debebat, nos in hac parte ab eo neglectos esse. AVL. Ergo'ne nos quoque Christianos in omnibus obedire sacerdotibus, & quicquid ipsis visum fuerit, pro verbo DEI recipere oportet? MON. Non propterea modò scripturam illam produxi: sed vt intelligeres duntaxat, Deum, sicut prospexerat Hebręis, quid sequerentur, si quid in scriptura expressum non esset, siue de sensu scripturę controuersia existeret, ita neque Christianos in eo posthabuisse.

Ioan. 16. Olim quidem Christus in cęlum ascendit: Sed

Matth. 28. ascendens ait: Non vos ręlinquam orphanos.

Et:

Et: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, id est, non modo Apostolorum tempore, aut per centum, ducentos, trecentos'ue annos deinceps, verum omni tempore vsq; ad consumationem seculi. De spiritu quocp sancto promisit: Ille vos docebit omnem veritatem. Atq; vt intelligas, promissum hoc non ad solos Apostolos, qui pridem vita defuncti sunt, neque ad Montani, aut Lutheri, & nostra hæc nouissima tempora, sed ad omnes omnium temporum Christianos pertinere, subdidit: Et manebit vobiscum in æternum. Deum patrem etiam rogauit non pro Apostolis tantum, sed pro omnibus, qui per verbum ipsorum in se credituri essent, vt eos sanctificaret & confirmaret in veritate. Vnde apparet, promissa illa & petitionem Christi ad vniuersos Christianos ab initio ad finem vsq; seculi, ac non ad certos homines hos aut illos, ptinere. Alioqui nihil certi in religione haberemus. Etenim difficile est homini nosse, quis à Deo ac spiritu sancto salutarem doctrinam verumq; scripturę sacrę sensũ habeat, qs nõ habeat. Minus etiã certũ est cuiuspiã de se ipso testimonium. Asseuerabat Montanus habere se spiritum sanctũ, nec aliter de ipso sentiebant plurimi mortales ab eo seducti: Atq; adeò ipsum esse spiritum

*Deum esse perpetuo cum Christianis.*

*Ioannis 16.*

*Ioannis 17.*

*Heretici falso iactant spiritum Dei.*

*Montanus.*

ſanctum à Chriſto promiſſum, qui non modò ſenſum ſcripturæ, ſed omnem veritatẽ hominibus patefacturus eſſet, perſuaſum habebant, Et erat tamen id falſiſsimum. Simonem quoq; magũ Samaritani credebãt eſſe virtutem Dei, quæ vocaretur magna, quemadmodũ Lucas memoriæ mandauit, nec ſoli Samaritani, ſed Romani quoq; & alij populi, ſicut ſcribit Clemẽs diſcipulus & ſucceſſor Petri Apoſtoli. Et tamen is non erat, ſed dementabat homines, nec habuit partem in hoc verbo, quemadmodum Petrus pronunciauit. Menander itẽ eiuſdem Simonis diſcipulus affirmabat ſe propter ſalutem hominũ à Deo miſſum eſſe. Nec tamẽ verum id fuit. Quin virtute Chriſti is vnà cũ prauis dogmatibus ſuis extinctus eſt, vt ſcribit Epiphanius. Scripſit & iactauit Lutherus, nihil eſſe in ſacra ſcriptura, quod ipſe nõ intelligeret: Doctrinam ſuam nõ eſſe ſuam, ſed Dei, & inſtinctũ ſpiritus ſancti: De Philippo autẽ ſuo, cum primũ is cõmentarios in Epiſt: Pauli ad Romanos edidit, quod eodẽ ſpiritu eos cõſcripſerit, quo Paul9 illã ipſam Epiſtolã. Atq; vt is mutuũ Præceptori ſuo teſtimoniũ redderet, ſcripſit & ipſe, pro ſacris, ac pro doctrina Chriſti ſe dicere, cum pro Luthero diceret. Et tamen neque Lutherus ſemper in ſua ſententia prioriq; interpretatione perſtitit, & à Zuinglianis notatur

Simon magus.

Acto. 8.

Clem. in lib. recogn.

Menander.

Epiph. aduer. hæreſ. lib. 1. to. 2.

Lutherus.

tatur

tatur multis in locis sacrę scripturę in Germanicam linguam vertēdis errasse: circa Psalterij verò enarrationem ipsemet fatetur non vbiq; id à se intelligi. Philippus autem cùm alia scripta sua, tum cōmentarios illos subinde correxit, multaq; in ijs mutauit, & quidem de rebus maximi momenti: & à Luthero atq; Caluino, q & ipse eundem spiritū Dei, doctrināq; Christi, & verbum Dei sibi arrogant, dissentire sibi pmittit. Quod Brētius quoq;, pari arrogantię parē libertatē seu verius licentiā adiungēs, facit. Qua de re pluribus egi heri. Spiritus autē sanctus nō est vanus, neq; mutationi obnoxius. Deus est.n. qui nō mutatur. Quod si maxime certis signis atq; documentis dequopiam probari posset, quod spiritus sancti non omnino sit exors, nec ita tamen securè dictis & interpretationi eius stare nos oporteret. De Christo enim domino scriptum est, quòd spiritus sanctus mansit super eum, hoc est perpetuò ac sine vlla intermissione cum eo perstitit. Cum ceteris hominibus nō perpetuò permanet: sed sicut ait Christus, siue de eo ipso, siue de hoc aëreo spiritu, vbi vult spirat, nec scimus vnde veniat, aut quo vadat. Ad tempus venit, & recedit: id quod in eximijs illis, doctis ac sanctis viris Cypriano, Tertulliano, Augustino, Hieronymo, qrū mētes, līguas, ac digitos nō obscurè spiritus sanctus rexit, ostensū est. Nā de Orig-

*Num. 23.*
*Mal. 3.*
*Ioan. 1.*
*Spiritus non semper adest singulis hominibus.*
*Ioa. 3.*

in quo extant tamen quædam peruersa dogmata, tam confidenter id affirmare non ausim. Quanquam cum tam multa recte docuerit & conscripserit, credibile est non sine gratia spiritus sancti id eum fecisse: quandoquidem à
Iacobi 1. solo Deo est sapientia, veritas, & omne bonũ: qui non modò per electa et sancta vasa sua, sed etiam per Ietro legis diuinæ ignarum, Balaam auarum, & asinam eius mutam, Caypham improbum & impium veritatem & voluntatem suam hominibus patefecit. Quod si illos tales tantosq́ viros noñunquam spiritus sanctus deseruit, ita vt minus rectè docerent, scripturas'ue interpretarentur, quid existimandum est de alijs, qui longè absunt ab eorum
Deutero. 13. præstantia? Ac propterea scripsit Moses Hebræis: Si surrexerit in medio tui Prophetes, aut qui somnium vidisse se dicat, & prædixerit signum atq́ portentum, & euenerit quod locutus est, & dixerit tibi: Eamus & sequamur Deos alienos quos ignoras, & seruiamus eis: Non audies verba Prophetæ illius aut somniatoris. Quid ais Mose? Nonne si Propheta est, & euenit id quod locutus est, habet spiritum sanctum, cum Prophetia sine spiritu sancto nõ
2. Petri 1. sit, quemadmodum scribit Petrus? Habuerit spiritum sanctum, quando prædixit signum & por-

et portentum quod euenit: Tunc quidem eò destitutus est, quando homines à Deo vero ad idololatriam seducit. Cur autem id facit spiritus sanctus, vt afflet nõnunquam eum, quem non ignoret abusurum esse dono suo? Reddit ibi Moses causam, subdens: Quia tentat vos dominus Deus vester, vt palam fiat, vtrum diligatis eum, an non, in toto corde, et in tota anima vestra. Proinde illa Christi promissio de perpetua sua et spiritus sancti præsentia, itemq; oratio ad patrem de sanctificatione credentium et confirmatione in veritate, non ad vnum quempiam, aut aliquot homines priuatim, neque ad vnum populum, neque ad vnum tempus vel seculum, verùm ad vniuersum Christianum populum per omnia loca et secula diffusum pertinet. Is est autem ecclesia Dei viui, columna et firmamentum veritatis, et corpus Christi: pro qua ipse Christus tradidit semetipsum, vt eam sanctificaret, mundans eam lauacro aquę in verbo vitæ. Hæc est illa ciuitas sancta, Hierusalem noua, descendens de cęlo à deo, habens claritatẽ Dei, sicut scribit Ioan. in Apocal: et vxor agni illius, q tollit peccata mundi, qui despondit eam sibi in sempiternã in iustitia, et iudicio, et in misericordia, et in miserationibus, et in fide

*Cum ecclesia et in ecclesia manere Christum et spiritum sanctum*

*1 Tim. 3.*

*Ephe. 1. et 5.*

*Apoc. 21.*

*Ioa. 1.*

*Ozee 2.*

quemadmodum ipse per Ozeam Prophetam prędixerat, securitatemq́; ei pręstitit, per Esaiam ita dicens: Noli timere, quia nō confunderis, neq; erubesces. Quid ita? Quia fœdus meū cum eis, dicit dominus. Spiritus meus qui est in te, & verba mea, quę posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui, & de ore seminis seminis tui, dicet dominus, amodo & vsq; in sempiternum. Atq; ideo subdit: Surge illuminare Ierusalem, quia venit lumen tuum, & gloria domini super te orta est. Quia ecce tenebrę operient terram, & caligo populos, super te autem orietur dominus, & gloria eius in te videbitur: Et ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in splendore ortus tui. Hæc est domus, non super numerabilē cedentemq́; arenam, sed super vnam, solidam, & firmam petram, quam neq; flumina eluunt vel subruunt, neq; venti disijciunt aut euertunt, ædificata. Aduersus hanc portę inferi, hoc est, diabolus pater mendacij, & qui sunt ex parte eius Heretici, nullis dolis & astibus, aut viribus & copijs suis pręualebunt: Per hanc non modò cūctis hominibus, verumetiā principibus et potestatibus in cœlestibus, quemadmodū scribit Paul., innotescere debuit multiformis sapientia dei, secundum pręfinitionē secu lorum,

Esa. 54. Esa. 59. Esa. 60. Matth. 7. Matth. 16. Ioa. 8. Eph. 3.

lorum, quam fecit in Christo Iesu domino nostro. Propt quas diuinas, et fallere nescias promissiones, tanta semper penes Ecclesiam fuit authoritas apud omnes Christianos populos vt ea sola depositum verbi Dei ac doctrinę apostolicę existimaretur fideliter conseruare, et quicquid ea pro verbo Dei tradidisset, et quomodo, quoq; sensu tradidisset, id solū reciperetur, siue id scriptum, siue viua voce, seu moribus & in mysterio proditum esset. Itaq; cum extarent olim Petri, Thomæ, Philippi, Mathiæ, Nazaręorum, extentq; etiam nunc Nicodemi et Bartholomęi, ni fallor, nomine Euangelia, itemq; liber pastoris, Apocalypsis Petri, Epistola Barnabę, acta Pauli, Andreæ, Io. & aliorum Apostolorum, (quorum faciunt mentionem Eusebius et Epiphanius, graues et vetusti scriptores) tamen eorum nihil habuit authoritatē verbi Dei. Hi verò libri, quos habemus in canone noui testamenti, sacrosancti semper fuerunt, & sunt apud nos, & ipsissimā Christi & Apostolorum doctrinam continere iudicantur, non aliā ob causam, quàm quod hos quidem approbauit & recepit, illos verò reprobauit ac reiecit sancta Christi Ecclesia: Et in illis ipsis autem, quos ea recepit, is demū verus est & germanus, verboq; Dei consen-

*Scriptura apocryphæ.*

*Euse. eccle. hist. li. 3. ca. 25. Epiph. aduers. hæres. lib. 1. tomo. 2.*

taneus eorum sensus, non quem Hus, Vicleffus, Petrus Abailardus, Berengarius, Vigilantius, Eutyches, Pelagius, Donatus, Nestorius, Macedonius, Aërius, Eunomius, Apollinaris, Photinus, Arrius, Sabellius, Manichæus, Marcion, Cerdo, Valentinus, & cæteræ eiusdem modi siue priscę, siue recentes & nouitiæ pestes & portę inferorũ prodidere, sed quem ea ipsa Ecclesia Christi prodidit, & per multas ætates ad nos transmisit, & vsq; ad consumationem sęculi conseruabit. Qua de re ita scribit Origenes, de hęreticis agens: Quoties autē canonicas proferũt scripturas, in quibus omnis Christianus consentit & credit, videntur dicere: Ecce in domibus verbum est veritatis. Sed nos illis credere non debemus, nec exire à prima & Ecclesiastica traditione: nec aliter credere, nisi quemadmodum per succesionem Ecclesiæ Dei tradiderunt nobis. Et mox addit: Eorum verborum falsorum professores, quidam quidem nec ab initio simulant scripturas, & sic fallere tentant. Ideo existimo, eos sermones, qui sunt omnino extra scripturam, ostendere volens, dixit: Si dixerint vobis: Ecce in solitudine: nolite exire de regula fidei. Eos autem, qui ad schisma simulant diuinas scripturas, ostendere volens, dixit: Si dixerint vobis,

Orig. omil. 29. in Matth.

Ecce

Ecce in domibus: nolite credere. Quodcunque professi fuerint de scripturis & de mysterijs, quæ sunt in eis ad demonstrationem, nolite credere quæ dicuntur. Veritas enim similis est fulguri egredienti ab Oriẽte & apparenti vsque ad Occidentem, qualis est veritas Ecclesię dei. Ab ea enim sola sonus in omnem terram exiuit, & in fines orbis terræ verba eorum, & velociter currit sola verè veritas Dei. Nec dissimilia sunt, quæ hoc etiam antiquior scribit Irenæus, qui se Apostolorum auditorem Polycarpum vidisse memorat. Non oportet, inquit, adhuc quærere apud alios veritatem, quã facile est ab Ecclesia sumere: cum Apostoli quasi in depositorium diues, plenissime in eam contulerint omnia, quæ sunt veritatis: vti omnis, quicunque velit, sumat ex ea potum vitæ. Hæc est enim vitę introitus: Omnes autem reliqui fures sunt & latrones: propter quod oportet deuitare quidem illos, quę autem sunt Ecclesiæ, cum magna diligentia diligere, & apprehendere veritatis traditionem. Vides, cùm in interpretatione scripturarum, tum in omni veritate etiam absque scripturis cognoscenda ad Ecclesiam nos remitti ab his eximijs doctoribus. De qua ita sensit etiam doctor gentium in fide & veritate Paulus,

*Iren. de præscript. hær. lib. 3. cap. 3. & 4.*

*Gal. 1.*

bæ post baptismum Christi apparuit: Nec tamen is columba fuit. Quod si maximè per formam illam diuinitatem accipi oporteret, id quod reuera verbis illis (Non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo) significatur, aliquis tamen alius arripiens ea verba, quæ statim sequuntur: Sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens: diceret, Christum suscepta serui, hoc est, hominis forma, Dei formam amisisse, aut vnam naturam siue Essentiam ex humanitate atque diuinitate commixtam et confusam extitisse. Quod quidem Eutyches hæreticus videtur secutus esse. Vides vt neutiquam planæ & faciles intellectu sint hæ scripturæ? Sic item aliæ, quas Ecclesia pro se habebat aduersus hæreticos. Planiores esse videbantur Arrio & Eunomio illæ, quibus se tuebantur. Quid enim, inquiunt, planius dici potuit illo? Pater maior me est. Non potest profecto ea maioritas (vt sic dicam) secundum staturam intelligi. Statura enim in corpore est; Deus autem corpore caret. Atque ita necessario intelligendum est, secundum essentiam, aut certè secundum eas proprietates, quæ incorpoream essentiam consequuntur: quales sunt virtus, potestas, authoritas, sapientia, bonitas, & cæt. Quæ in diuinitate non sunt diuersa ab essen-

*Eutychetis error.*

essentia, sed sunt ipsa Dei essentia. Id verò si affirmes, ademeris filio dei diuinitatem. Nec minus aperta ipsis videbatur esse & altera illa: Ascendo ad patrem meum, & patrem vestrũ, Deum meum & Deum vestrum. Quibus verbis videtur Christus ad Apostolos homines sese adiungere, & à Deo disiungere, appellans eum cum ex æquo ipsis patrem ac deum suum. Cum autem nos filij Dei, nec tamen natura dij simus, idem de Christo domino hæreticus intelliget. Confirmabitq; opinionem suam sequentibus illis verbis: Deum meum, & Deum vestrum. Deus enim supra se alium Deum nō habet, nec potest habere: quandoquidem Dei nomine id venit, quod est omnium summum, et à quo res omnes cæteræ existunt, conseruantur, & gubernantur. Quod si dicat quis, illud: Pater maior me est: secundum humanam naturam à Christo dictum esse: itemq; illud, Deum meum, & Deum vestrum: Hoc iam non fuerit scripturam per scripturam interpretari. Nihil enim eiusmodi extat neq; in hac vtraq;, neq; in illa alia scriptura: In contrarium autem est illud, quod Christus exinaniuit semetipsũ, formam serui accipiens. Viden' quo te adducet istiusmodi scripturæ per scripturam interpretatio, vt vel grauiter erres, vel certè in dubitationem

*Ioan. 20.*

*Deus quid sit.*

tionem venias, & aliunde harum scripturarum interpretationem quærere necesse habeas? Excutiamus autem & alias. Scribit Paulus ad Co-
1. Cor. 15. rinthios: Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt. Christus autem apud Lucam di-
Lucæ 22. cit: Et ego vobis dispono locum, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo. Vtram ex his per alteram interpretaberis? Si posteriorem per priorem, ilico vnum de duodecim articulis fidei, nempe de resurrectione corporũ à morte, abieceris: Sin illam per hanc, in alium non minus grauem errorem incideris, quod in regno Dei ac cœlesti comesturi ac bibituri simus, & alijs voluptatibus corporis fruituri. Tametsi videntur: hæ scripturæ inter se esse contrariæ, vt neutram per alteram recte exponere queas. Possent plures eiusmodi scripturæ in medium afferri, quas per alias scripturas interpretari non liceat, aut si interpretêre, vix errorem effugias.
Matth. 1. Quale est de stirpe & genealogia CHRISTI
Lucæ 3. diuerse à Matthæo & Luca descripta: Aut vbi
Mar 3. Euangelistę fratrum domini mentionem faci-
Lucæ 8. unt: aut quod is fuit primogenitus matris suę.
Ioan. 7. AVL. Iam & ego ipse animaduerto, ita se rem
Matth. 1. habere. Cum igitur neq; humanis interpretationibus, neque ijs, quæ per alias scripturas

fiunt,

sunt, uti & fidere nos oporteat, vnde verum ac certum sensum sacrę scripturę petemus? MON. Inde vnde scripturam ipsam habemus: A Deo nimirum, cuius inspiratione euangelistę ac cæteri apostoli scripserunt, quemadmodum testificatur Petrus. Dauid sanè ita canit: Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua. Et iterum: seruus tuus ego sum, da mihi intellectum, vt sciam testimonia tua. Et alibi: Beatus quem tu erudieris domine, & de lege tua docueris eum. Lucas verò scribit de apostolis: Tunc aperuit illis sensum (nimirum Christus dominus verus Deus & homo, leo de tribu Iuda, & agnus, qui habet clauem Dauid) vt intelligerent scripturas. AVL. At enim Christus pridem in cœlum ascendit, nec loquitur inde nobiscum: neque per angelos, aut visa & somnia nobis voluntatem suam et sensum scripturarum aperit. Nisi forte aliter tu sentis cum Suenckfeldis. MON. Absit. AVL. Apostoli etiã, à quibus veram interpretationem earum, atq; adeo traditiones quoq; viuę vocis, et in mysterio, in scripturis non extantes, de quibus dudũ locutus es, haurire nos oportebat, pridẽ è viuis excesserũt. MON. Vera sunt quę dicis: sed nõ habet tamen deus derelictũ populum suũ, quem sibi delegit Hebręis

Scripturæ uera interpretatio à Deo petenda.

2 Pet. 1.

Psal. 118.

Psal. 93.

Lu. 24.

 tempo-

temporariam legem dederat, scripturamq; sequi eos iusserat, sicut audisti, & tamen diligenter eis hac in parte prospexit, si quid difficile & ambiguum occurreret, de quo nihil extaret in scriptura, aut quod inde explicari non posset. Indicauit enim, vnde id petendum esset: iubens, vt sacerdotes præsidentes loco, quem ipse elegerit, de eo consulerent, qui indicaturi ipsis essent iudicij veritatem: Eorumq; sententiam omnino sequi eos voluit, non declinantes ad dexteram, nec ad sinistram. Si in veteri testamento, Deus Hebræis, quibus solis ad tempus id dabat, tam diligenter prospexit, lõgè minus existimandum est, in nouo, quod viua voce traditum, cunctis populis atq; seculis seruire debebat, nos in hac parte ab eo neglectos esse. AVL. Ergo'ne nos quoq; Christianos in omnibus obedire sacerdotibus, & quicquid ipsis visum fuerit, pro verbo DEI recipere oportet? MON. Non propterea modò scripturam illam produxi: sed vt intelligeres duntaxat, Deum, sicut prospexerat Hebręis, quid sequerentur, si quid in scriptura expressum non esset, siue de sensu scripturę controuersia existeret, ita neq; Christianos in eo posthabuisse. Olim quidem Christus in cęlum ascendit: Sed ascendens ait: Non vos relinquam orphanos.

Deut. 17.
Ioan. 16.
Matth. 28.

Et:

Et: Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, id eſt, non modo Apoſtolorum tempore, aut per centum, ducentos, trecentos'ue annos deinceps, verum omni tempore vſq; ad conſummationem ſeculi. De ſpiritu quoq; ſancto promiſit: Ille vos docebit omnem veritatem. Atq; vt intelligas, promiſſum hoc non ad ſolos Apoſtolos, qui pridem vita defuncti ſunt, neque ad Montani, aut Lutheri, & noſtra hæc nouiſsima tempora, ſed ad omnes omnium temporum Chriſtianos pertinere, ſubdidit: Et manebit vobiſcum in æternum. Deum patrem etiam rogauit non pro Apoſtolis tantum, ſed pro omnibus, qui per verbum ipſorum in ſe crediturí eſſent, vt eos ſanctificaret & confirmaret in veritate. Vnde apparet, promiſſa illa & petitionem Chriſti ad vniuerſos Chriſtianos ab initio ad finem vſq; ſeculi, ac non ad certos homines hos aut illos, ꝑtinere. Alioqui nihil certi in religione haberemus. Etenim difficile eſt homini noſſe, quis à Deo ac ſpiritu ſancto ſalutarem doctrinam verumq; ſcripturę ſacrę ſenſũ habeat, qs nõ habeat. Minus etiã certũ eſt cuiuſpiã de ſe ipſo teſtimonium. Aſſeuerabat Montanus habere ſe ſpiritum ſanctũ, nec aliter de ipſo ſentiebant plurimi mortales ab eo ſeducti: Atq; adeò ipſum eſſe ſpiritum

*Deum eſſe perpetuo cum Christianis.*

*Ioannis 16.*

*Ioannis 17.*

*Heretici falſo iactant ſpiritum Dei.*

*Montanus.*

sanctum à Christo promissum, qui non modò sensum scripturæ, sed omnem veritatẽ hominibus patefacturus esset, persuasum habebant. Et erat tamen id falsissimum. Simonem quoq; magũ Samaritani credebãt esse virtutem Dei, quæ vocaretur magna, quemadmodũ Lucas memoriæ mandauit, nec soli Samaritani, sed Romani quoq; & alij populi, sicut scribit Clemẽs discipulus & successor Petri Apostoli. Et tamen is non erat, sed dementabat homines, nec habuit partem in hoc verbo, quemadmodum Petrus pronunciauit. Menander itẽ eiusdem Simonis discipulus affirmabat se propter salutem hominũ à Deo missum esse. Nec tamẽ verum id fuit. Quin virtute Christi is vnà cũ prauis dogmatibus suis extinctus est, vt scribit Epiphanius. Scripsit & iactauit Lutherus, nihil esse in sacra scriptura, quod ipse nõ intelligeret: Doctrinam suam nõ esse suam, sed Dei, & instinctũ spiritus sancti: De Philippo autẽ suo, cum primũ is cõmentarios in Epist: Pauli ad Romanos edidit, quod eodẽ spiritu eos cõscripserit, q̃ Paul⁹ illã ipsam Epistolã. Atq; vt is mutuũ Præceptori suo testimoniũ redderet, scripsit & ipse, ꝑ sacris, ac ꝑ doctrina Christi se dicere, cum ꝑ Luthero diceret. Et tamen neque Lutherus semper in sua sententia prioriq; interpretatione perstitit, & à Zuinglianis notatur

Simon magus.
Acto. 8.
Clem. in lib. recogn.
Menander.
Epiph. aduer. hæres. lib. 1. to. 2.
Lutherus.

tatur multis in locis sacrę scripturę in Germanicam linguam vertẽdis errasse: circa Psalterij vero enarrationem ipsemet fatetur non vbique id à se intelligi. Philippus autem cùm alia scripta sua, tum cõmentarios illos subinde correxit, multaque in ijs mutauit, & quidem de rebus maximi momenti: & à Luthero atque Caluino, qui & ipse eundem spiritũ Dei, doctrinãque Christi, & verbum Dei sibi arrogant, dissentire sibi pmittit. Quod Brẽtius quoque, pari arrogantię parẽ libertatẽ seu verius licentiã adiungẽs, facit. Qua de re pluribus egi heri. Spiritus autẽ sanctus nõ est vanus, neque mutationi obnoxius. Deus est.n. qui nõ mutatur. Quod si maxime certis signis atque documentis dequopiam probari posset, quod spiritus sancti non omnino sit exors, nec ita tamen securè dictis & interpretationi eius stare nos oporteret. De Christo enim domino scriptum est, quòd spiritus sanctus manasit super eum, hoc est perpetuò ac sine vlla intermissione cum eo perstitit. Cum cęteris hominibus nõ perpetuò permanet: sed sicut ait Christus, siue de eo ipso, siue de hoc aęreo spiritu, vbi vult spirat, nec scimus vnde veniat, aut quo vadat. Ad tempus venit, & recedit: id quod in eximijs illis, doctis ac sanctis viris Cypriano, Tertulliano, Augustino, Hieronymo, qrũ mẽtes, lĩguas, ac digitos nõ obscurè spiritus sanctus rexit, ostensũ est. Nã de Orig-

Num. 23.
Mal. 3.
Ioan. 1.
*Spiritus non semper adest singulis hominibus.*
Ioa. 3.

in quo extant tamen quædam peruersa dogmata, tam confidenter id affirmare non ausim. Quanquam cum tam multa recte docuerit & conscripserit, credibile est non sine gratia spiritus sancti id eum fecisse: quandoquidem à
Iacobi 1. solo Deo est sapientia, veritas, & omne bonũ: qui non modò per electa et sancta vasa sua, sed etiam per Ietro legis diuinæ ignarum, Balaam auarum, & asinam eius mutam, Caypham improbum & impium veritatem & voluntatem suam hominibus patefecit. Quod si illos tales tantosq́ viros nonunquam spiritus sanctus deseruit, ita vt minus rectè docerent, scripturas'ue interpretarentur, quid existimandum est de aliis, qui longè absunt ab eorum
Deutero. 13. præstantia? Ac propterea scripsit Moses Hebræis: Si surrexerit in medio tui Prophetes, aut qui somnium vidisse se dicat, & prædixerit signum atq; portentum, & euenerit quod locutus est, & dixerit tibi: Eamus & sequamur Deos alienos quos ignoras, & seruiamus eis: Non audies verba Prophetæ illius aut somniatoris. Quid ais Mose? Nonne si Propheta est, & euenit id quod locutus est, habet spiritum sanctum, cum Prophetia sine spiritu sancto nõ
2. Petri 1. sit, quemadmodum scribit Petrus? Habuerit spiritum sanctum, quando prædixit signum & por-

et portentum quod euenit? Tunc quidem eo destitutus est, quando homines à Deo vero ad idololatriam seducit. Cur autem id facit spiritus sanctus, vt afflet nõnunquam eum, quem non ignoret abusurum esse dono suo? Reddit ibi Moses causam, subdens: Quia tentat vos dominus Deus vester, vt palam fiat, vtrum diligatis eum, an non, in toto corde, et in tota anima vestra. Proinde illa Christi promissio de perpetua sua et spiritus sancti præsentia, itemq; oratio ad patrem de sanctificatione credentium et confirmatione in veritate, non ad vnum quempiam, aut aliquot homines priuatim, neque ad vnum populum, neque ad vnum tempus vel seculum, verùm ad vniuersum Christianum populum per omnia loca et secula diffusum pertinet. Is est autem ecclesia Dei viui, columna et firmamentum veritatis, et corpus Christi: pro qua ipse Christus tradidit semetipsum, vt eam sanctificaret, mundans eam lauacro aquę in verbo vitæ. Hæc est illa ciuitas sancta, Hierusalem noua, descendens de cęlo à deo, habens claritatẽ Dei, sicut scribit Ioan. in Apocal: et vxor agni illius, q tollit peccata mundi, qui despondit eam sibi in sempiternã in iustitia, et iudicio, et in misericordia, et in miserationibus, et in fide

*Cum ecclesia et in ecclesia manere Christum et spiritum sanctum*

*1 Tim. 3.*

*Ephe. 1. et 5.*

*Apoc. 21.*

*Ioa. 1.*

*Ozee 2.*

quemadmodum ipse per Ozeam Prophetam prędixerat, securitatemq́ ei pręstitit, per Esaiam ita dicens: Noli timere, quia nō confunderis, neq́ erubesces. Quid ita? Quia fœdus meū cum eis, dicit dominus. Spiritus meus qui est in te, & verba mea, quę posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui, & de ore seminis seminis tui, dicet dominus, amodo & vsq́ in sempiternum. Atq́ ideo subdit: Surge illuminare Ierusalem, quia venit lumen tuum, & gloria domini super te orta est. Quia ecce tenebrę operient terram, & caligo populos, super te autem orietur dominus, & gloria eius in te videbitur: Et ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in splendore ortus tui. Hæc est domus, non super numerabilē cedentemq́ arenam, sed super vnam, solidam, & firmam petram, quam neq́ flumina eluunt vel subruunt, neq́ venti disijciunt aut euertunt, ædificata. Aduersus hanc portę inferi, hoc est, diabolus pater mendacij, & qui sunt ex parte eius Heretici, nullis dolis & astibus, aut viribus & copijs suis pręualebunt: Per hanc non modò cūctis hominibus, verumetiā principibus et potestatibus in cœlestibus, quemadmodū scribit Paul., innotescere debuit multiformis sapientia dei, secundum pręfinitionē seculorum,

Esa. 54. Esa. 59. Esa. 60. Matth. 7. Matth. 16. Ioa. 8. Eph. 3.

lorum, quam fecit in Christo Iesu domino nostro. Propter quas diuinas, et fallere nescias promissiones, tanta semper penes Ecclesiam fuit authoritas apud omnes Christianos populos vt ea sola depositum verbi Dei ac doctrinę apostolicę existimaretur fideliter conseruare, et quicquid ea pro verbo Dei tradidisset, et quomodo, quocp sensu tradidisset, id solū reciperetur, siue id scriptum, siue viua voce, seu moribus & in mysterio proditum esset. Itacp cum extarent olim Petri, Thomæ, Philippi, Mathiæ, Nazaręorum, extentcp etiam nunc Nicodemi et Bartholomęi, ni fallor, nomine Euangelia, itemcp liber pastoris, Apocalypsis Petri, Epistola Barnabę, acta Pauli, Andreæ, Io. & aliorum Apostolorum, (quorum faciunt mentionem Eusebius et Epiphanius, graues et vetusti scriptores) tamen eorum nihil habuit authoritatē verbi Dei. Hi verò libri, quos habemus in canone noui testamenti, sacrosancti semper fuerunt, & sunt apud nos, & ipsissimā Christi & Apostolorum doctrinam continere iudicantur, non aliā ob causam, quàm quod hos quidem approbauit & recepit, illos verò reprobauit ac reiecit sancta Christi Ecclesia: Et in illis ipsis autem, quos ea recepit, is demū verus est & germanus, verbocp Dei consen-

*Scripturæ apocryphæ.*

*Euf. eccle. hist. li. 3, ca. 25.*

*Epiph. aduers. hæres. lib. 1, tomo. 2.*

 taneus

taneus eorum sensus, non quem Hus, Vicklefus, Petrus Abailardus, Berengarius, Vigilātius, Eutyches, Pelagius, Donatus, Nestorius, Macedonius, Aërius, Eunomius, Apollinaris, Photinus, Arrius, Sabellius, Manichæus, Marcion, Cerdo, Valentinus, & cæterę eiusdem modi siue priscę, siue recentes & nouitiæ pestes & portę inferorū prodidere, sed quem ea ipsa Ecclesia Christi prodidit, & per multas ætates ad nos transmisit, & vsq; ad consumationem sęculi conseruabit. Qua de re ita scribit Origenes, de hęreticis agens: Quoties autē canonicas proferūt scripturas, in quibus omnis Christianus consentit & credit, videntur dicere: Ecce in domibus verbum est veritatis. Sed nos illis credere non debemus, nec exire à prima & Ecclesiastica traditione: nec aliter credere, nisi quemadmodum per successionem Ecclesiæ Dei tradiderunt nobis. Et mox addit: Eorum verborum falsorum professores, quidam quidem nec ab initio simulant scripturas, & sic fallere tentant. Ideo existimo, eos sermones, qui sunt omnino extra scripturam, ostendere volens, dixit: Si dixerint vobis: Ecce in solitudine: nolite exire de regula fidei. Eos autem, qui ad schisma simulant diuinas scripturas, ostendere volens, dixit: Si dixerint vobis,

Orig. omil. 29. in Matth.

Ecce in domibus: nolite credere. Quodcunque professi fuerint de scripturis & de mysterijs, quæ sunt in eis ad demonstrationem, nolite credere quæ dicuntur. Veritas enim similis est fulguri egredienti ab Oriēte & apparenti vsque ad Occidentem, qualis est veritas Ecclesię dei. Ab ea enim sola sonus in omnem terram exiuit, & in fines orbis terræ verba eorum, & velociter currit sola verè veritas Dei. Nec dissimilia sunt, quæ hoc etiam antiquior scribit Irenæus, qui se Apostolorum auditorem Polycarpum vidisse memorat. Non oportet, inquit, adhuc quærere apud alios veritatem, quā facile est ab Ecclesia sumere: cum Apostoli quasi in depositorium diues, plenissime in eam contulerint omnia, quæ sunt veritatis: vti omnis, quicunque velit, sumat ex ea potum vitæ. Hæc est enim vitę introitus: Omnes autem reliqui fures sunt & latrones: propter quod oportet deuitare quidem illos, quę autem sunt Ecclesiæ, cum magna diligentia diligere, & apprehendere veritatis traditionem. Vides, cùm in interpretatione scripturarum, tum in omni veritate etiam absque scripturis cognoscenda ad Ecclesiam nos remitti ab his eximijs doctoribus. De qua ita sensit etiam doctor gentium in fide & veritate Paulus,

*Iren. de præscript. her. lib. 3. cap. 3. & 4.*

*Gal. 1.*

lus, vt quamuis non ab hominibus, neque per
Gal. 2. hominem missus esset ad propagandum Euangelium, neque ab homine id didicisset, sed per reuelationem Iesu Christi, sicut ipse de se testificatur, tamen posteaquam per viginti fere annos multis in locis prædicauit, non vltro, neque suasione humana adductus, sed secundum reuelationem ascendit Hierosolymam, sicut etiam dixi superius, vbi tunc erant columnæ Ecclesiæ Christianæ, & ibi contulit cum illis Euangelium, quod prædicabat in gentibus. Quam ob rem? Vt eos doceret, aut vt periculum faceret, an id illi probe intelligerent? Nequaquam. Sed ne forte ipse in vanum curreret, aut cucurrisset: Hoc est, vt exploraret, num qua de re ab illis ipse dissentiret, Innuens frustraneum futurum fuisse laborem suum, si quid diuersum à cæterorum apostolorum prædicatione, & à doctrina, quam sequebatur Christi Ecclesia, in prædicatione sua appareret. Nō quod ipsi magnopere de doctrina sua, quam reuelatione diuina acceperat, dubitandū esset, sed vt ceteris, vt equidē arbitror, exemplum præberet, ne quis tantum doctrinæ ac sapientiæ suæ præfideret, quin ad Ecclesiam sibi de rebus difficilibus vel dubijs referendum, & in eius magis, quàm in sua ipsius

sen-

ſententia acquieſcendũ eſſe exiſtimaret. Quapropter etiamſi Paulus ipſe vel Petrus, vel etiã angelus de cœlo (nedum Lutherus, Melanchthon, Brentius, Muncerus, Seruetus, Caluinus, Laſcus, Oſiander, Suencfeldius) Euangelizauerit nobis præter id quod in hac, & ab hac ipſa Eccleſia ſiue p ſcripturas, ſiue per traditiones apoſtolicas accepimus, anathema ſit. Hanc qui non audit, pro ethnico & publicano habendus eſt, ſecundum verbum domini. Is enim Chriſtum ipſum, qui eam audiendam eſſe præcepit, & cuius ea ſponſa & corpus eſt, non audit: Et ideò non eſt de ouibus eius, pro quibus ille Deum patrem rogauit, vt eas ſeruaret in nomine ſuo, vt vnum ſint in ſe & in ipſo, & vt eas ſanctificaret & confirmaret in veritate, vt ſint conſummatæ in vnum: In quo exauditus eſt proculdubio pro ſua reuerentia. Sit igitur demonſtratum, religionem noſtram atque doctrinam Chriſti ſalutarem non omnem ſcripturis contineri, & in ſcripturis autem non ſtatim eſſe habendum pro verbo DEI, quod ſuo quiſque ſenſu profert, neq; ſatis certam eſſe earum interpretationem, quæ fit collatione aliarum ſcripturarũ: Proinde par eſſe, atq; adeò neceſſarium, vt ſicuti ſcripturas ab Eccleſia accepim⁹, ita interptationẽ,

Galat. 1.
Matthei 18.
Coloſ. 1.
Ephеſ. 5.
Ioannis 10.
Hebræ. 5.
Epilogus.

quoq;

quoque earum ab ea petamus, & non modò in ea ipsa traditione & interpretatione scripturarum, sed in omnibus, quęcunque ea sine scripturis viua voce, aut in silentio & in mysterio à domino vel Apostolis eius suscepit, & nobis quasi per manus tradidit, ei plenam fidem habeamus, in eoq; penitus acquiescamus, non secus quàm in ipsissimo verbo Dei. AVL. Ita mè scripturarum testimonijs & authoritate constrinxisti & adegisti, vt non grauatè fatear, Ecclesiā nos audire oportere cùm in interpretatione scripturarum, tum in omnibus, quęcunque ea nobis è doctrina Christi, traditioneq; apostolica, seu uerbis, seu scriptis, seu moribus & in silentio facta tradidit. Verum enimuero illud ex te lubens discerem, liceat ne ei (Ecclesię inquā) pręter sententiam doctrinamq; Christi, et Apostolorum nobis aliquid pręcipere & statuere. MON. Si credis ea vera esse, quę dixi dudum, ac verbo Dei confirmaui, de promissis & pręrogatiuis Ecclesię à Christo ac Deo datis, illud quoque firmiter ac citra vllam dubitationem credas oportet, eam nihil vnquam aduersus, aut etiam pręter sententiam magistri, sponsi, et capitis sui, & quod sit alienum à verbo Dei, facere aut statuere, ac ne posse quidem. Cum enim verbum

*Ecclesia nihil statuit præter Christi sententiam.*

verbum Dei ſit ipſa veritas, & quicquid alienum eſt à veritate, falſum ſit ac mendacium, atq; eæ ſint portę inferorũ, quomodo eæ pręualebũt aduerſus columnam veritatis, quę ſuper firmã petram ædificata, & in veritate ſanctificata, ſponſa eſt & corpus veritatis, ſpiritum veritatis habens rectorem & gubernatorem perpetuum? aut quomodo ea confundetur, & recedent verba Dei de ore eius, ac dę ore ſeminis eius? aut quomodo deniq; ea, quæ habet claritatem Dei, & in qua tenebris operientibus terram gloria domini videri debet, & gentes in lumine eius ambulaturę ſunt, quomodo (inquã) ea falſitatis aut erroris dun taxat & ignorantię tenebris operietur? Abſit à pijs mentibus tam impia cogitatio. AVL. At ego audiui graues & pios, vt videbantur, viros, qui affirmarent, quibus de rebus nihil à Chriſto & Apoſtolis eius ſtatutum eſſet, Eccleſiam recte poſſe ſtatuere: Et qui eiuſmodi ſtatuta eius non audiat, eum pro ethnico & publicano haberi debere. MON. Rectiſsime illi: neq; ego aliter ſentio: neq; Chriſtus ipſe diſtinxit, vt diceret, Quicunq; non audierit eccleſiam, in eo, quod ea profert è doctrina mea vel veſtra, ac verbo Dei: Sed vniuerſe dixit: Quicunq; non audierit Eccleſiam: Verum

tu nō rectè accepisti, quæ ego dixi modò. Præt sententiam Christi ego negaui Ecclesiā quicquā statuere, non præter doctrinā. Nam si quid ea præter Christi apostolorumq́ doctrinam statuit, nō præter sententiam Christi statuere existimanda est, cū talibus, qualibus dudū ostendi, prærogatiuis & promissis ab eo dotata sit. AVL. Edissere ista planius. Mihi enim, quæ pter doctrinam cuiusquam fiunt, etiam præter sententiā eius fieri videntur. MON. Erras: Diuersum est hoc ab illo. Potest.n. aliqd præter doctrinam atq; præceptū meum tuū ue fieri, qd tamen haud præter sententiā nostram fiat. Exempli gratia: Præcipio famulo meo, vt mihi aliqd è prædio meo suburbano afferat: Ille verò veniens ad prædiū, videt ædificiū correptū incendio, restinguit incendiū, de quo ego ipsi nihil præceperam. An non videtur hic tibi facere præter doctrinā atq; præceptum meum, nec tamen præter sententiā meam? Quid si mandē pastori, vt gregem meū educat ad certa pascua, et ille animaduertens ea inundata aqs, ad alia quædam, mea itidē, & æque bona, eum inducat? An videbitur is tibi præter sententiā meam fecisse, licet ꝑpter mandatum meū fecerit? AVL. Sic est. Nō fit præter sententiā præcipientis, qd is præceptur⁹ fuerat, si prouidisset. Verū longe diuersa est ratio diuinorū ac hu-

*Præter sententiam & præter doctrinam.*

manorum pręceptorũ. Homo.n.& prouidentia & memoria, & ratiotinatione falli potest, ita vt nec omnia prouideat, quę vsus postulat, nec semp̃ id præcipiat, q̃d expedit, quodq; esset præcepturus, si non erraret, aut ignorantia teneret. At Christus cum sit deus, & verbũ dei patris, omnis erroris et ignorantiæ expers, nõ nisi salutarẽ doctrinã, & q̃dem omnẽ nobis tradidit, ita vt in ea neq; correctioni, neq; additioni locus relictus sit. Quo fit, vt q̃ doctrinã ei⁹ mutare, uel addere ei q̃ppiam ausit, p̃ter sententiam eius facere uideat. MON. Minime gentiũ. Nam neq; omnẽ salutarem doctrinã Christus nobis p̃didit, et ea, quã siue ipse p̃ se, siue p̃ apostolos p̃didit, admittit nõnunq; mutationem. Iam aũt illud à me superius probatum est: Nõ omnẽ salutarem doctrinã Christum auditoribus suis tradidisse, q̃ captui eorũ inseruiret, ac aliq̃d etiã spiritui sancto relinqueret. Ad eundẽ modum apostoli q̃q; repleti spiritu sancto, præceptorẽ in hoc, vt in omnib⁹, imitati, paulatim doctrinã eius hominibus, ad captũ eorũ sese attempantes, infundebant, nõ alit, q̃ cũ q̃s angustiore orificio liq̃rẽ in vas infundit. Vis hoc exẽplis tibi p̃bari? En tibi: Petr⁹ in prima illa sua cõcione, quã in die Pẽteco. ad multitudinẽ, q̃ cõfluxerat, habuit, Iesũ Nazare. uirũ tm̃ appel-

*Non omnem doctrinam salutarem traditam esse ab Apostolis.*

*Actorum 2.*

appellat, à Deo in ipsis approbatum virtutibus, & prodigijs, & signis, quæ deus per illum fecit, & quod eum ab ipsis interemptum Deus solutis inferni doloribus suscitauit, & exaltauit, & dominum eum, Christumq; fecit: Diuinitatis autem eius tecte ac dissimulanter facit mentionē. Porrò cum homines illi rogarent, quid se facere oporteret, Pœnitentiam agere, & baptizari vnumquemq; iussit in remissionem peccatorum. Erat ne autem hæc vniuersa doctrina & ratio religionis Christianæ? Nemo est tam stupidus, qui ita sentiat. Statim'ne autem ab initio apostoli diaconos ordinarūt?
Actor. 6. Non: sed tunc demum, cum iam aliquantisper propagatus esset Christianismus. Verum nusquam apertius cerni potest, non statim omnia simul Apostolos docuisse, quàm in illo decreto de suffocatis, sanguine, idolothistis, et fornicatione. Iam lex vet⁹ vnà cum ritibus ac cæremonijs suis per mortem Christi consūmata erat, iamq; penitus aboleri debebat, quēadmodum Paulus multis in locis, præsertim aūt ad Romanos, Galatas, et Hebræos scribens affirmat, & ipsi Apostoli in concilio illo suo commemorant. Statim ne autē eam ij abrogarunt? Minimè. Quin ipsi eam initio seruarunt. Argumento est, quòd ad templum cum Iudæis pre-

Actor. 15. Ioannis 19.
Actor. 3. Actor. 11.

precandi causa conueniebant, & quòd Petro succensuerunt, quòd is cum Ethnicis consuetudinem haberet & comederet. Compluribus demum annis interiectis, cum Ethnici seducti à Iudæis ad Iudaismum spectare cœpissent, Apostoli ijdem conuentu acto Hierosolymis, req; in consultationem posita, non repente tamen eam abrogarunt: Sed ethnicos modo eius obseruatione soluerunt, ita vt aliquid tamen oneris inde ad tempus eis imponerent, idq; leniendorum Iudæorum Christo initiatorum gratia. Atq; idipsum etiam postea fermè exoleuit: Iudæos vero conuersos non vetuerunt legem seruare: Quin ipsi quoq; in gratiam ipsorum, ieiunia, dies festos, & alias cæremonias obseruarunt, & Paulo, cum is postea Hierosolyma denuo reuertisset, persuaserunt, vt purificatus & attensus secundum legis præscriptum templum ingrederetur, & pro se & quatuor alijs Deo munus offerret. Idem ipse Paulus Timotheum circumcidit: Et tamen Galatis scribit denuncians, quod si circũciderentur, Christus eis nihil esset profuturus, & quod quisquis circumciditur, debitor sit vniuersæ legis faciendæ. Corinthijs autem: Omne quod in macello venit, manducate,

Act. 21.

Act. 16.

Gal. 5.

1. Cor. 10.

nihil interrogantes propter conscientiam. Hic iam aperte abrogabat decretum illud commune Apostolicum. Vides quomodo Apostoli pedetentim in doctrina sua progrediebantur. Quod quidem etiam in concione
Act.17. Pauli, quam Athenis habuit, in actis Apostolorum descripta, animaduerti potest: & ex eo quod idem scripsit Corinthijs, recte colligi-
1.Cor.3. tur: Et ego, inquit, fratres non potui uobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus, tanquam paruulis in Christo lac vobis potum dedi: non escam. Nondum enim poteratis, sed ne nunc quidem potestis: (quid, nisi res sublimes intelligere?) In eandem sententiam scribit
Heb.5. & Hebræis: De quo (Christo nimirum) nobis grandis sermo, & ininterpretabilis ad dicendum, quoniam imbecilles facti estis ad audiendum. Etenim cũ deberetis magistri esse propter tempus, rursum indigetis, vt vos doceamini, quæ sint Elementa exordij sermonũ dei, & facti estis, quibus lacte opus sit, non solido cibo. Vnde non illud modo apparet, non omnia simul, quæ ad salutem pertinerent, docuisse apostolos, sed etiam paulatim & sensim docendo, non omnem tamen doctrinam salutarem explicasse & absoluisse. Nam quod Hic PAVLVS facta mentione sacerdotij
Christi

Christi subdit, quod is per mortem consumatus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ, additq; grandem de eo restare sermonem, cuius tunc Hebræi capaces non essent, cum ne postea quidem ipsis exposuit. Neq; enim vllam aliam Epistolam ad eos postea scripsit, neq; rediit in Iudæam, sed Romæ, vnde illam scripsit, interfectus est. In aliis item Epistolis eius nihil extat eiusmodi: Ac ne in aliorum quidem apostolorũ scriptis. Longè verò apertius non vniuersam salutarem doctrinam per apostolos esse traditam, ex eo perspicitur, quod Paulus idem scribit ad Corinthios, cum quædam eis de cæna domini statuisset: Cætera, inquit, cum venero, disponam. Oportet sanè aliquid vtile fuisse, quod eis pollicebatur, Neq; enim leuis ille & vanus erat. Præstitit ne autem quod erat pollicitus? Non potest ostendi, eum postea Corinthum venisse: Quin posteriore ad eos ipsos Corinthios Epistola excusat, quòd ad eos non venerit, sicut promiserat. Eam autem EPISTOLAM ex itinere ad eos dedit, cum ad extremum Hierosolyma proficisceretur, vbi captus, Cæsareamq; missus, & inde postea maritimo itinere ROMAM transmissus, 1.Cor.11.

missus, pro Christi nomine supplicium exper
dit. In scriptis quoque eius ac ceterorum Apo-
stolorũ nihil tale reperitur. Quid igitur? Ha-
buit'ne deus derelictui Hebreos, Corinthios
& ceteros Christianos post mortem Pauli a
ceterorum Apostolorum, aut inuidit'ne illi
sanctam illam ac proculdubio vtilem & salu-
tarem doctrinam atque dispositionem à Paulo
promissam, aut grandem illum residuum de
sacerdotio Christi sermonem? Procul absit
vt ita sentiamus. Multe & magne res atque vti-
les aliquamdiu sub silentio latuerunt in Eccle-
sia catholica, neque per Christum, neque per A-
postolos eius explicatæ, Quarum nonnulla
ego superius recensui: De quibus postea curi-
osi & peruersi homines disceptare, & Satane
instinctu graues & intolerabiles errores inter
christianos populos disseminare, rectamque re-
ligionẽ peruertere et opprimere ceperunt.

*Ecclesie authoritas in damnandis Heresibus.*

Destituit'ne autem tunc Ecclesiam suam Chri-
stus, quam tantopere dilexit, ornauit, curauit,
& securam fecit, sicut audiuisti superius? Pas-
sus'ne est eam omni vento doctrine circum-

*Eph. 4.*

ferri & succumbere? Minime gentium. Sed
qua virtute & authoritate ipse in terris vi-
uens docuit: dæmonibus per eos homines,
quos posidedant, se confitentibus ac cele-
bran-

brantibus silentium imposuit, ac tentatorem illum suum increpuit, quæq; Apostoli post eum quicquid opus erat in Christiana religione ordinauerunt & constituerunt, hæreticosq; exorientes refutarunt, ea ipsa virtute & authoritate Ecclesia, sicubi doctrina Christi & Apostolica traditione destituebatur, suborientes subinde in religione difficultates atque dubitationes dissoluebat: prauitates hæreticas extinguebat: Nazaræos, Cerdonem, Marcionem, Appellem, Gnosticos, Encratitas, Cataphrygas, Montanum, Quartadecumanos, Adamitas, Catharos, Euchytas, Angelicos, Apostolicos, Manichæos, Sabellium, Samosatenum, Arrium, Photinum, Eunomium, Macedonium, Antropomorphitas, Eutychen, Acephalos, tuorum pseudeuangelicorũ progenitores, Aerium, Luciferum, Iouinianum, Vigilantium, Donatum, Pelagium, Heluidium, Berengarium, Valdenses, Picardos, Hussum, & quasuis alias inferorum portas cum ipsarum dogmatibus, quæ pro dijs alienis populo Christiano obtrudebant, superauit & oppressit, deincepsq; opprimet ac funditus euertet. AVL. Non equidem abnuo, Ecclesiam statuere aliquid posse de eo, de quo nihil neq;

 à Chri-

à Christo Domino, neque ab Apostolis eius statutum sit, modò ne hoiẽs Christiani ad necessariam eorũ statutorũ obseruationem pœnæ æternę damnationis adstringantur. MON. Ridiculum. Ergo vis ea similia esse eorum statutorũ, quę in comitijs quorundam populorũ sicut leuiter conduntur, sic temerè cõtemnuntur. At Christus docuit, et inuiolabili lege sanxit: Qui nõ audierit Ecclesiam, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. An non videntur autem tibi ethnici & publicani obnoxij esse damnationi æternæ? AVL. Esto: Hoc quoq; ius obtineat Ecclesia: Cęterum Christi instituta mutare eam posse non arbitror. MON. Si apostolis Christi instituta mutare licuit, non intelligo cur non liceat Ecclesię, eundẽ gubernatorem eandemq; authoritatem habenti. Potuisse autem, & mutasse apostolos dubium nõ est. Vis hoc uidere? Docuit Christus: Audistis quia dictum est antiquis: Nõ periurabis: Reddes autem domino iuramenta tua: Ego autem dico vobis, nõ iurare omnino. Quoties autem iurat Paulus in Epistolis suis? Testis enim, inquit, mihi est DEVS. Ego autem testem DEVM inuoco in animam meam. An non discessit autem idem ab instituto Christi

*Ecclesia potest obligare conscientias hominum.*

*Apostolos mutasse instituta Christi.*

*Matth. 5.*

*Rom. 1.*
*Phil. 1.*

sti etiam in illo, quod cum Christus ordinasset, sicut scribit ipse Paulus, ijs qui Euangeliũ annunciant, de Euangelio viuere, ipse eo non est vsus, verum gratis prædicauit? Docuit Christus: Quod intrat in os, non coinquinat hominem. Cui attestatur Paulus: asserens omnia esse munda mundis: Et tamen apostoli statuerunt & preceperunt, vt homines ethnici ad fidem Christi conuersi, & sanguine eius mundati atque sanctificati, abstinerent à sanguine, suffocatis animalibus, & idolothytis: Babtizabant etiam infantes, qui credere nondum poterant, quemadmodum memoriæ mandarunt vetusti, & fide digni scriptores Augustinus & Origenes, imò & Dionysius Areopagita Pauli discipulus. Nonne autem in eo discesserunt à præcepto domini, qui docendi & baptizandi munus coniunxit, ita vt videri possit, baptizandos non esse eos, qui per ętatem doceri nequeant. Ibidem autem certam baptismi formulam eis præscripsit: In nomine patris & filij, & spiritus sancti: Quam etiam formulam ij statim ipso die Pentecostes mutarunt. Cum enim multitudo illa, quæ ad miraculum concurrerat, post concionem Petri rogaret, Quid faciemus uiri fratres?

1. Thess. 3. Lu. 10. 1. Cor. 9. Matth. 15. Tit. 1. Aug. contra Donat. li. 4. ca. 24. Orig. in 6. ca. ad Rom. Dion. Hier. Eccle. ca. 7. Matth. 28. Mar. 16.

Respondit Petrus; Pœnitentiã agite, & bapt
zetur vnusquisque vestrũ in nomine Iesu Chr
sti. Vides Petrum hic cæteris Apostolis pra
sentibus & non reclamantibus à præscript
magistri discedere, Patris & spiritus sancti n
men omittentem. Ad eundem modum & Sa
Actorum 8. maritani à Philippo Euangelista baptiza
sunt, sicut idem Lucas memorat; itemque Cor
Actorum 10. nelius centurio cum domo sua à Petro: & ill
Actorum 19. quos Paulus Ephesi baptizauit. Vnde lique
Apostolos instituta Christi mutasse. Nec ta
men in eo quicquam peccarunt, nec aliud Eu
angelium prædicarunt, præter id, quod à Do
mino acceperant; Nec detrahebant eo, vel ad
debant quicquam verbo Dei: Sed vtebantu
potestate sua in dispensandis mysterijs ad ædi
ficationem Ecclesiæ distribuebantque famili
Dominicæ pro ratione temporum tritici me
suram, simulque declarabant efficaciam promis
sionis Christi, & authoritatem spiritus sancti
qui eos docturus erat omnia, & suggesturu
eis omnia, quæcunque Christus ipsis dixisset
nempe quomodo ea essent accipienda, &
quòd nefas non esset à verbis eius discedere
modò ne discederet à sentẽtia. Cum autẽ pro-
missio illa, sicut prius dixi, ex æquo ad Eccle-
siam

ſiam quoque pertineat, habeatq; ea eundem gubernatorem ſpiritum ſanctum, authoritatē quoq; eandem habeat neceſſe eſt. Quam ſanè declarauit paulò poſt Apoſtolorum tempora, cum adhuc homines maiore, quàm nunc, timore dei, pietate, & ſcientia doctrinę Chriſti prędi ti eſſent, nec facile ſe in aliud Euangelium transferri paterentur, ne vitæ quidem periculis & extremis cruciatibus propoſitis. Victore pontifice Eccleſiæ præſidente intra centeſimum & quinquageſimum annum poſt Chriſti aſcenſionem, cum ſubortum eſſet diſſidium inter Chriſtianos de feſto Paſchatis, ij quidem, qui id quartadecima Luna Aprilis, in quamcunq; diem ea incidiſſet, pariter cum Iudæis celebrari oportere aſſeuerabant, non modò Ioannis Euangeliſtæ & aliorum quorundam Apoſtolorum inſtituto ſiue more, ſed etiam Chriſti ipſius exemplo nitebantur. Et tamen Eccleſia ſtatuit, vt non plena luna, verùm die Dominico ſequenti, Paſcha celebraretur. Atq; id ita cùm à multis particularibus ſynodis, tum ab œcumenico Nicæno Concilio poſtea confirmatum, apud omnes Chriſtianos populos in hodiernum diem ſeruatur: Illi vero damnati ſunt, q̃ per contuma-

*De Paſchate.*

ciã ei decreto parêre noluerunt. Scimus etiam Christũ ad cõficiendum siue consecrandũ corpus suũ in sacramẽto Eucharistię azimo pane vsum esse, idemq; factitasse Apostolos nõ magis doctrinę quàm exemplorum ipsius obseruantes. Et tamen Ecclesiæ postea fermentato vti placuit. Quanquam postea rursus sublata causa placiti eius, ipsum quoq; placitum in desuetudinem abijt apud Christianos populos, Græcis & Russis exceptis, qui id etiam nunc retinent: Et indulsit hoc eis conciliũ Florentinum. Neq; illud ignoramus, Christũ post cænam & agni agrestiũq; lactucarũ esum sacrosanctam cœnã suam instituisse: Et sic eam deinceps aliquamdiu in Ecclesia vsitatam fuisse, è Pauli Epistola priore ad Corinthios constat. Et tamen mutauit post Ecclesia id institutum, ita vt nunc nusquam nisi à ieiunis ea cęna, hoc est, eucharistia sumatur in Eccclesia catholica: quod Augustinus quoq; memorat suo tempore sic esse obseruatum. Iam Sabbatũ quoq; à Christo obseruatum esse legimus: Et ab ipso sanè vnà cum Patre & Spiritu sancto iam inde ab initio mundi conditi sanctificatum, & in lege Mosaica pręceptum id fuit: & tamen Ecclesia id nõ seruauit, sed die dominica commutauit.

*De azimo & fermentato.*

*De tempore sumendæ Eucharistiæ.*

*1. Corinth. 11.*

*August. ad Ianuar. Epi. 118*

*De Sabbato in Dominicum commutato.*

*Genesis 2.*

*Exodi 20.*

Deniq;

Deniq; morē illū baptizandi in nomine Christi, ab Apostolis vsitatū, quemadmodū paulò ante memoraui, nōne Ecclesia post abrogauit, et Christi præceptum, non sine graui causa intermissum ab Apostolis, reuocauit? Qua verò authoritate id fecit Ecclesia? Eadem, qua Paulus scripsit Galatis, Si circumciderentur, Christum eis nihil esse profuturum, ipse verò Timotheum circumcidit, decretumq; illud Apostolicū de abstinendo à sanguine, suffocato, & idolothytis induxit: quaq; ipsi Apostoli illius ipsius decreti onus ethnicis ad Christianismū conuersis imposuerant, & Christi de baptismo instituta mutarant: Nimirum spiritus sancti authoritate: cuius doctrina et instituta perinde sunt verbum Dei, atq; illud, quod Christus ipse docuit, instituit, & precepit. AVL. Igitur variū & mutabile est verbū Dei? MON. Ex se non est variū et mutabile, imò fidelia sunt omnia mandata ei?, cōfirmata in seculū seculi, facta in veritate & equitate, sicut iam semel atq; iterum dixi. Sed quemadmodū ipse Christus dei filius, cū esset verus deus, ꝓpter nos in forma humana sese humiliauit, corpusq; & ὑστερήματα siue defectus, vt ita dicā, nostros in se suscepit, sic et in doctrina salutari ad captū nostrū

*De forma Baptismi.*

*Galat. 5.*

*Actorum 16.*

*1. Corin. 10.*

*An mutabile sit uerbū dei.*

sese

sese attemperauit, demittens sese ad nostrã imbecillitatem: iactoq; certo, solido, & immobili religiõis & salutis nostræ fundamẽto, reliquũ ædificium ita superstruxit, vt in eo magnam duceret, duciq; vellet à vicarijs suis, Ecclesiæ suæ administris, temporum, locorum, & hominum, quibus consultum volebat, rationem. Nec id in nouo magis, quàm in veteri testamento. Quocirca & vxorem, inquit Chrysostomus, aliam quidem repudiare, aliam vero introducere permisit, cum non hanc legem tulisset ab initio: Ciborum quoq; magnum fecit discrimen, licet contrarium dixisset ab initio: Tanquam olera agri dedi vobis omnia. De loco quoq; multas leges sanxit, non permittens vbiq; preces ad Deum peragere, quamuis ne hoc quidem constituisset ab initio: Quin etiam in Persarum regione Abrahæ visus est, & in Palestina, & vbiq; & Moysi post hæc in solitudine. Quid ergo? Repugnat'ne sibiipsi scriptura? Absit. Sed omnia prò tempore administrat ac dispensat ad vtilitatem, vniuscuiusq; generationis imbecillitatem corrigens. Subditq; idem Chrysostomus, Iudæis dictum esse: Dominus Deus tuus, Dominus vnus est: Quod autem habeat etiam filium,

Chrys. in psal. 109. Deut. 14. Gen. 1. Matth. 19. Leuit. 11. Gen. 9. Deut. 12. Gen. 12. Exo. 3.

filium, Prophetas postea scriptum reliquisse: Nec id tamen valde aperte, ne imbecillitatem Iudæorum offenderent: Nec celasse tamen, vt post hæc è proprijs libris ij possent colligere decreta veritatis. Atque hæc de veteri testamẽto colligit Chrysostomus. Quid in nouo? Nonne Christus eas ipsas leges, quas ipse cum patre per spiritum sanctum Iudæis de diuortio, ac de delectu locorum tulerat, rursus mutauit? Nõne apostoli eam, quæ erat de delectu ciborum, cæteraśque ceremoniales abrogarunt? Nõne aũt Christus ipse sua ipsius instituta quædam mutauit? AVL. Ostende, vbi id fecerit. MON. Cum dimitteret apostolos ad prædicandum ante mortẽ suam, præcepit eis, ne in viam gentium abirent, neque adirent ciuitates Samaritanorum, sicut scribit Matthæus. Contra vero post resurrectionem suam præcepit eis, vt irent in orbem terræ vniuersum, docerentque omnes gentes, essentque sibi testes in Samaria, & vsque ad vltimum terræ. Discessit idem à præcepto suo, quo præceperat, ne orantes multum loqueremur, quando in horto prolixius orauit, & in monte pernoctabat in oratione Dei. Discessit etiam tunc, quandò ministro pontificis, qui ipsi alapam inflixerat, non mo-

Matthæi 19.
Ioannis 4.
1. Timot. 4.
Actorum 15.
Christus mutauit instituta sua.
Matthæi 10.
Marci 16.
Matthæi 28.
Actorum 1.
Matthæi 6.
Lucæ 22.
Lucæ 6.
Ioannis 18.

Matt. 5. modò non præbuit alteram maxillam, sicut ipse docuerat, sed etiam expostulauit cum eo. Cernis mutationem: nec tamen varium est & mutabile verbum Dei, sed manet in æternum, sicut aiunt Dauid et Esaias, licet non omne quibuslibet, neque semper, neque vbique, neque eodem modo seruiat. Hoc secuti sunt apostoli, fideles eius ipsius verbi Dei dispensatores & legati Christi, quando instituta & præcepta magistri sui, prout vsus postulabat, mutarunt: Eandemque authoritatem Ecclesiæ post se reliquerunt, siue adeò CHRISTVS ipse, sicut iam audiuisti, reliquit. AVL. Ergo omnem Christi doctrinam Ecclesia mutare potest? Absit hæc blasphemia à Christianorum

Gen. 3. auribus & animis. Non esset ea sponsa eius,

1. Pet. 3. quam Deus viro subditam esse vult: sed aduersaria. MON. Non meministi, quid dudum dixerim? AVL. Quidnam? MON. Nempe, Christum & apostolos solidum & immobile iecisse doctrinæ suæ fundamentum: præter quod ne-

1. Cor. 3. mo, ne ipsi quidem apostoli, aut Ecclesia, aut angeli de cœlo aliud ponere possunt. De eo intelligi debet illud, quod scribit PAVLVS

Gal. 1. Galatis: Si quis vobis euangelizauerit præter id quod accepistis, anathema sit. Cęterum quę

huic

huic fundamento siue ab apostolis, siue ab ipso Christo superstructa sunt, non omnia eiusdem modi sunt. Sunt enim quædam per modum consilij, quod necessariam obseruationem non habet (nisi quis ipse sibi vltro legem imposuerit) dicta vel scripta: quædam per indulgentiam: quædam præcepti quidē vim obtinent, sed ita, ut id certis locis, temporibus, personis, & alijs circumstantijs adstrictum sit, aut expeditam magis quàm necessariam viam ad salutem muniat. In ijs mutandis Ecclesia Christi catholica iustam habet spiritu sancto gubernante authoritatem, Christi ipsius sponsi sui & apostolorū exemplis firmatam, ad ædificationem, non ad destructionem, ita vt licet præter doctrinam, non præter sententiam tamen Christi & apostolorum, neq; contra verbum Dei id facere videatur. Huc spectasse Paulus videtur, cum ita scriberet: Et si quid aliter sapitis, & hoc vobis Deus reuelabit. In quo singularis quædam cura & prouidentia Dei erga nos Christianos nostramq; salutem elucet, ita vt cum Dauide recte canere possimus: Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis. Quare Ecclesiam in omnibus prorsus, quæcunque ad religionem & cultum DEI, salutemque nostram

*Phil. 3.*

*Psal. 147.*

 perti-

pertinent, sine vlla dubitatione constanterq; sequi nos oportet, si errare, & à veritate, hoc est, à Deo, vita & salute nostra excidere nolumus. AVL. Assentiuntur his aliqua ex parte Lutherani: Nempe, veram Dei Ecclesiam non errare. Tametsi authoritatem eius tam late patere negant. MON. Negent vt volunt, dummodo conditor & sponsus eius Christus, & moderator spiritus sanctus per ora prophetarum & Apostolorum, sicut iam audisti, loquens, non neget, tot verò seculorum, quot ab initio nascentis Ecclesię ad hæc nostra tempora fluxerunt, consensus & vsus comprobet. Tametsi non video qua fronte isti authoritatem Ecclesię diminuant, si non his concedunt, eam non errare. Si enim ea non errat omnino vlla in re, ergo neq; in usurpanda authoritate, qua vtitur. AVL. Sit ita sanè: Cæterum vbinā ea sit Ecclesia, hic labor, hoc opus. Et isti enim Euangelici, vt nosti, eam sibi vendicant. MON. Scio: Verum nihil cum ea commune habent. Quod quidem euidenter planū fiet, vbi eam, si tibi videbitur, descripsero, & notas quibus ea cognosci posit ac debeat, demonstraro. AVL. Imo vt facias, magnopere te rogo. MON. faciā. Sed in aliud tempus id differamus.

feramus. Satis multa hodie dicta sunt, & tempus est, ut ad alia discedamus. AVL. Mihi nondum est molestum te audire. Audirem vel ad vesperũ te talibus de rebus ita loquentem, talibusq́ documentis docentem. Sed tute tibi accommoda. Nec in longum differas: Sed cras quęso istam veram Christi Ecclesiam, quam sequi nos oportet, mihi demonstra: ne declinem ad dextram, vel ad sinistram. MON. Cras igitur, quemadmodum postulas, de ea id quod Deus inspirarit, conferemus inter nos. AVL. Placet: Nec tu me ingratum experiere. MON. Nihil opus est. A Deo mercedem huius laboris expectabo. Quanquam equidem in eo officium meum facio.

Impressum Dilingæ apud Sebaldum Mayer.

